Liber Precum

PVBLICARVM, SEV ministerij Ecclesiasticę administrationis Sacramentorum, aliorūq; rituū & cęremoniarum in Ecclesia Anglicana,

Stamford 1693

Cum prilegio Regiæ Maiestatis.

ELIZABETH, Dei gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, fidei defensor, &c. Omnibus ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem. Cum memores officij nostri erga Deum omnipotentem, (cuius prouidentia principes regnant) legibus quibusdam saluberrimis, consensu trium Regni nostri statuum, sancitis, anno regni nostri primo, Regium nostrum assensum libenter præbuerimus: inter quas una lex lata est, ut Preces publicæ, una, & eadem certa, & præscripta precandi forma, lingua uulgari, & uernacula, passim in ecclesia Anglicana haberentur, quo subditi nostri quid orarent, facilius intelligerent: & absurdum illum, diuq; in Ecclesia inueteratum errorem, tandem deuitarent. Fieri enim non potest, ut precationes, supplicationes, aut gratiarum actiones non intellectæ, mentis ardorem aliquando excitent & accendant, cùm spiritu & ueritate, Deus qui spiritus est, non oris tantum strepitu, adorari uult. Cui rei etiam addi potest, quod hac cæca ignoratione, superstitiosæ preces, aut res alienæ, non satis idoneæ quæ Deo profunderentur, cordium humanorum scrutatori, sæpenumero ore prophano offerebantur. Notum uobis esse uolumus, quod quoniam intelligimus Collegia utriusq; Academiæ, Cantabrigiensis & Oxoniensis: Collegium item Nouum prope Wintoniam, & Etonense, bonis literis dicata, supplicibus uotis petere, ut quo sacrarum literarum monumenta latina, ad uberiorem Theologiæ fructum eis reddantur magis familiaria, eis liceat eadem forma precum Latine uti. Omnibus Reipublicæ nostræ membris, quantum in nobis est, consulere, & cum eorum necessitati, qui latina non intelligũt, tum eorum uoluntati qui utranque linguam percipiunt, consulere cupientes, constituimus per præsentes, licitum esse & permissum nostra autoritate & priuilegio regali, tam Decano & Sodalitio Ecclesiæ Christi in Academia nostra Oxoniæ, quam Præsidibus, custodibus, rectoribus, magistris & sodalitatibus, omnium & singulorum Collegiorũ Cantabrigiæ, Oxoniæ, Wintoniæ, & Etoniæ, hoc modo precandi Latine, uti publice in Ecclesijs & Sacellis suis, quem nos per nostrum Typographum ædi curauimus in hoc præsenti uolumine, conuenientem cum Anglicano nostro Publicarum precum libro, iam per uniuersum nostrum Regnũ recepto & usitato. Cui item peculiaria quædam in Christianorum

funebribus

funebribus & exequijs decantanda adiungi præcepimus, Statuto illo prædicto de ritu publicarum precum (cuius supra mentionem fecimus) anno primo regni nostri promulgato, in contrarium, non obstante.

Prouiso semper, quod in eiusmodi Collegijs, quibus Laicorũ parochiæ annexæ erunt, ac in reliquis etiam, ad quorum templa laici, eorundem Collegiorum famuli & ministri, siue alij quicunque siue Latinæ linguæ imperiti, necessario adire debent, his horæ aliquot opportunæ, & loca in dictis ecclesijs aut sacellis, assignentur, in quibus, Festis saltem diebus, precés Matutinæ & Vespertinæ legantur & recitentur: & Sacramentorum administrationes suis temporibus Anglice, ad Laicorum ædificationem celebrari possint. Eadem etiam formula Latina precandi priuatim uti, hortamur omnes reliquos Ecclesiæ nostræ Anglicanæ ministros, cuiuscunque gradus fuerint, ijs diebus, quibus aut non solent, aut non tenentur parochianis suis, ad eadem sacram pro more accedentibus, publice preces uernacula lingua, secundum formam dicti Statuti, recitare. In præmissorum autem fidem & testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes.

Dat. apud Palacium nostrum de Westmonasterio, sexto die Aprilis. Anno regni nostri secundo.

IHIL VNQVAM FVIT humana ſapientia tam bene conſtitutum, aut conſtabilitum firmiter, quod proceſſu temporis non labefactaretur & corrumperetur. Et ut de alijs exemplis taceam, hoc manifeſtum eſt de forma publicarum precum in Eccleſia, quas uulgus Cultum dei uocare cõſueuit. De harum origine ſi quis conſultat autenticos ſcriptores, inueniet non alia ratione inſtitutas eſſe, quàm ut fides, pietaſq́, ac religio Chriſtiana creſceret, & doctrina latiùs propagaretur. Nam ſancti Patres itarem inſtituerunt, ut tota Biblia, aut maior horum pars ſemel in anno prælegeretur, hoc conſilio, ut clerici & præſertim miniſtri Eccleſiæ, frequenti lectione & meditatione ſcripturæ, ſeipſos excitarẽt ad pietatem, & inſtructiores redderentur ad docendam Eccleſiam uerbo Dei, & refutandos aduerſarios ueræ doctrinæ. Deinde, ut populus ex quotidiana lectione ſacrorũ librorum in templis, creſceret ſubinde magis ac magis in uera cognitione Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti, & per id accenderetur ad ſtudium & amorem ueræ religionis. Sed multis retro ab hinc annis, hæc pia & ſalutaris Patrum conſtitutio, ita neglecta, mutata

&

& corrupta fuit, additione incertarum historiarũ, ut nihil durius dicam, Responsoriorũ, Versuum & inutilium repetitionum, commemorationum, & aliarum Synodalium constitutionum, ut semper fere cum inciperetur liber aliquis Sacer, priusquam tria aut quatuor capita absoluerentur, nihil temporis superesset pro reliqua parte scripti. Vt, exẽpli gratia, uisio Esaiæ prophetæ incipiebatur prima dominica Aduentus, ita liber Geneseos dominica Septuagesimæ incipiebatur: sed incipiebatur tantum, quia nunquam finiebatur. Et ad hunc modum fiebat de alijs.

Præterea, etiamsi Paulus iubeat sacram lectionem fieri lingua populari, ut inde ædificetur Ecclesia, tamen aliquot seculis sacri libri prælegebantur ad Anglos Latine, ut is qui legeret, plerunque daret sine mente sonum, & uox tantum aërem & aures feriret, corda, spiritus & mentes, fructu uacarent. Ad hæc, etsi sancti patres diuiserunt Psalmos in septem partes, quas Nocturnas preces uocant, ut Psalterĩ integrũ singulis septimanis absolueretur, rarò tamen his postremis temporibus huic ordinationi fuit satisfactũ, sed omnibus diebus ijdem Psalmi repetebantur, alijs interim omnino omissis. Postremò tantus fuit numerus, tanta uarietas regularum, Picæ ut uocabant, tot mutationes in officio ecclesiastico, quòd reuolutio libri ad inueniendũ quid legeretur, plus negotij & difficultatis

ficultatis haberet, quàm lectio huius quod fuerat inuē-
tum. Horum & similium incommodorum consideratione, reuocauimus officium Ecclesiasticum ad primam institutionem, iuxta consiliũ sanctorũ Patrum. Et ut omnia sint in promptu, præfixum est Calendarium facile intellectu, & in quo quantũ fieri potuit, totius Scripturæ cõtinua lectio proponitur ordine, ita ut nulla sit interruptio aut separatio locorum in sacris Biblijs coniunctorum. Hoc ut cõmode fieret, necesse fuit omittere Antiphonas, Responsoria, Inuitatoria, & alia quædã similia, quæ disiungebant perpetuũ cõtextũ, & cõtinuam lectionẽ scripturæ. Et quia cõducit ad huius ordinis & perpetui cõtextus sacrorũ librorum intellectũ, præfigere quosdam Canones, ideo aliquos huic operi præfiximus, qui ut numero pauci, ita intellectione sunt facilimi: sic enim ordo precationum, quantum ad scripturam attinet, dispositus est, ut multo magis conueniat cum consilio institutionis sanctorũ Patrũ, & multo cõmodior atq; utilior sit, quã fuerit illa qua antea sumus usi. Quod aũt maiorẽ habeat utilitatẽ, uel ex eo facile intelligi potest, quod in eo multa sunt omissa de illis rebus, quæ sunt incertæ, quædã etiam confictæ, nonnullæ superstitiosæ. Et quod in hac ordinatione nihil contineatur præter purum uerbũ Dei & sacras literas, uel quod in euidente & necessaria consequutiõe ex istis deducitur, idq; hoc ordine, illo idiomate, ut & à lectoribus & auditoribus haud

difficile

difficile percipi & retineri posſit. Eſt præterea hæc ordinatio commodior propter breuitatem & manifeſtum ordinem, & paucas regulas apertas. Et quia miniſtris Eccleſiæ, nihil opus eſt alijs libris in publico miniſterio, ſi hunc & ſacra biblia teneant, quo fit etiam ut plebecula facilius ferre posſit ſumptus in coemendis libris, in unaquaque Parochia, quàm unquam antea. Eſt & illud in hac ordinatione illuſtre, & quod omnes ad decorum non ſolum, ſed & utile & neceſſarium iudicant, quod in omnibus huius regni eccleſijs, eædem ſunt lectiones & cantiones, cum antea ſingulæ Diœceſes ſuam habuerint ordinationem, ut alij Sarum, alij Herfordienſem, alij Eboracenſem, aut Lincolnienſem &c. ſequerentur.

Si autem quiſpiam queratur, difficiliorem eſſe hãc ordinationem, propterea quòd oporteat iam omnia ex libro recitare, cum antea ex ſolo auditu, propter crebram repetitionem, multa addiſci poſſent: is ſi conferet utilitatem intelligentiæ, quam, ex quotidiana lectione ſacrorum librorum conſequetur, cum labore facile hanc moleſtiam deuorabit. Quta uerò nulla ordinatio tam perſpicue proponi poteſt, de quo non oriantur interdũ diſputationes in quotidiano uſu, conſtitutum eſt, ut quoties dubia occurrunt aut incidunt inter miniſtros, deferatur res ad Epiſcopum Diœceſeos, cuius iudicio in hac re acquieſcent, modo nihil conſtituat, quod palam cum hac ordinatione pugnet.

De Cæremoniis, cur aliæ

QVIDEM ABROGATAE, ALIAE uerò retentæ ac receptę sunt in Ecclesia nostra Anglicana.

CAERIMONIAS PLAERASq́ omnes, ac sacrorũ ritus, quibus in Ecclesia diu iam autoritas tributa est, ab hominum institutione ac disciplina manauisse, luce clarius est. Harum autem cærimoniarum aliæ piè sancteq́, ab ortu excogitatę, diuturnitate post, & institutionis ignoratione, uersæ fuerunt in eam superstitionem, in qua insunt timores quidam, ac confidentię pariter inanes. Aliæ, clam in Ecclesiam irrepserunt, effictę ad quorundam hominum arbitrium, quibus plus desiderij cultus diuini, quàm cognitionis modi, ac rationis rectè colendi Deum fuit. Quę quoniam primò conniuentibus cæteris, quibus fuit iudicium confirmatius, introductæ fuerũt in dies singulos, in nefarios & flagitiosos abusus adoleuerũt. Hæ, non solum quod inutiles sunt quod ijs populus cæcutijt, uerum etiã quod gloriæ Dei per has offusæ sunt tenebræ, dignæ existimabantur, quæ exploderentur, ac penitus

penitus exterminarentur. Aliæ sunt, quas licet ab hominibus ascitas fuisse confitemur: eas tamen retinere optimum usus est, cum propter εὐταξίαν, & decori ordinis conseruationē in Ecclesia (quò erant primum destinatæ) tū potissimum, quia spectant ad ædificationem, ad quam sunt omnia (ut Apostolus tradit) referenda. Et quanquam cæremonię alicuius retentio, aut omissio, (quod ad eam ipsam attinet) non magni est momenti: temeraria tamen & fastuosa, communis ordinis, ac disciplinæ maiorum rescissio, grauissimam numinis diuini reprehensionem incurrit.

Fiant omnia inter uos (inquit Apostolus) decore, & apposito ordine. Ordinis autem huius constitutio, temperatioq́, neutiquam ad priuatos homines spectare potest. Quamobrem conatus rescindendi aut nouandi instituta publica, in Ecclesia Christi, non nisi legittime ad eam rem accersito, est cuiquam permissus.

Et quoniam his nostris turbulentissimis temporibus, ob uehemens hominum studiū, tam ardens in quibusdam cęrimoniarum suarum propugnatio sit, ut uel minimam partem earum libenter dimitti non uelint: aliis contra aures sint, nouarum rerum cupiditate adeò prurientes, ut nihil nisi nouum ac nu-

per ascitum possit arridere: non tam illorum libidini, quam rei ueritati consulendum esse rati, in Deum primum oculos coniecimus, deinde in utilitatem utrarumq; partium. Verum ne quisquam ægre ac iniquo animo ferat cærimoniarum in Ecclesia immutationē, rationes quasdam adduximus, cur à multis ante seculis receptæ quædam antiquentur, aliæ uerò obseruentur. Abolentur nonnullæ ad ingentem & immensam illarum congeriem imminuendam, quę non multo ante hanc nostram ætatem adeò amplificabantur, vt onus illarum non esset ferendum. Quamobrē diuus Augustiuus in illa ecclesiæ Christi quasi iuuentute, grauiter acerbeq; cōquestus est, aceruum illaruum tam infinitè excreuisse, ut Christianorum conditio multo esset deterior, ea in re, quàm populi Iudaici: isq; autor ac consultor fuit, ut tam graue iugum & importunum pondus leuaretur, quum primùm occasio & temporis oportunitas, sedatè id fieri posse permitteret. At quid diceret diuus Augustinus, si in hęc nostra tempora reseruatus, uidisset auctisimum incrementum hodiernarum cærimoniarum, quibuscum illę nequaquam numero sunt conferēdæ? Nostrarum cęrimoniarum multitudo, adeò erat amplificata, adeò erat abstrusæ, & obscuræ

signi-

significationis, & interdum adeò inutiliter accommodatę, ut potius tenebras obducerent, inuoluerentq; rerũ sensa, quàm illustrarent beneficia Christi, prolixè & copiosè in nos collata. Ad hæc, Christi euangelium, nõ est disciplina egens cærimoniis, æquè atque Moysis instituta: uerum est pura & syncera ratio colendi Deum, non in seruitute typorum & umbraculorum, sed in spiritus libertate, contenta his solum cęrimoniis, quę poterunt pertinere ad decori ordinis conseruationem (quam paulò ante εὐσχημοσύνην appellauimus) & sanctę morum disciplinæ confirmationem: & sunt præterea aptæ ad excitandos hebetes, & somnolentos hominum sensus, in recordationem officij sui erga Deum, idque clara & patenti notatione, in ædificationem corporis mystici. Postremò, grauissima ratio, quæ ad exterminationem quarundam cęrimoniarum nos commouit, fuit, quòd hæ partim cæcitas imperitę plebis, partim inexplebili eorum auaritia, qui quærebant corradere suum quæstum, potius quam gloriam Dei illustrare, in tam horribiles abusus degenerauerunt, ut hi, nisi sublatis ipsis cærimoniis, tolli ulla ratione non possent. Verum, iam nunc si qui fortè grauiter ac molestè ferent, aliquas ueterum cærimoniarum non a-

abolitas fuisse: ij si secum ipsi uelint reputare, sine certis non posse fieri, ut rerum gerendarum decorum, & tranquilla disciplina in ecclesia conseruentur, facilè deprehendent rationum quædam momenta, quibus poterũt reuocari ad saniorem mentem, & acrius iudicium. Quod si penitus omnes antiquas amouendas esse censebunt, & illarum loco nouas substituendas: tum quandoquidem authores sunt cærimoniarum habendarum, equidem eas, quæ diutino populi assensu, & uoce receptæ, comprobatęq; sunt, & appositè possunt seruire instituto nostro, respuendo, stultitiam suam manifestè produnt, præsertim cum nostro æuo, earum significatio accommodatioq; non ignoretur. Hæc siquidem clarè explorata & percepta, sunt magni æstimandę ab omnibus, ob admirabilem cõtinuationem, & seriem longinqui temporis, si se ipsi potius concordiæ & consensionis cupidos esse uideri uolunt, quam introducẽdi res inusitatas, exoticas & aduentitias, id quod (quantum Christianæ religionis diligens quædam procuratio patitur) est sedulò uitãdum. Præter hæc, nemo poterit meritò & iustè de retentis cærimonijs conqueri, nemo succensere. Nam quemadmodum illæ exulant ab ecclesia, quibus populus fœdissimè

abutebatur

abutebatur, & quibus hominum conscientię oppressæ succum bebant: sic hæ retentę sunt, disciplinę ac ordinis causa, quę tamen ita valebunt, ut non solum mutari, sed refigi etiam ac rescindi possint, & ea de re, non dabũt se in societatẽ honoris, cum lege diuina. Ad hęc, non sunt inuolutæ aut elingues cerimonię nostrę, patent, loquuntur, adeò ut explicata & euoluta sit illarũ intelligentia, & propositum nõ obscurum, quò referuntur. Quò fit, ut credi non possit eas peruertendas fore tẽpore uenturo, ęquè ac cęteræ, quibus Christiana uita, toto cœlo à scopo uitæ Christo, aberrauit. At dicent aliqui fortasse: Quò sese iactabit hæc audacia? Ecquid prescribetis religionis formas & effigies peregrinis? Neutiquam, Nam neque consuetas illorum cęrimonias reprehendimus, neq; inducimus nouas, utpote quibuscum nihil nobis commercij est, de nostris hominibus duntaxat sumus solliciti. Hoc enim iudicio diu iam fuimus, ut conuenire opinaremur, vt quęlibet Respublica utatur his cęrimonijs, quas accommodatissimas existimauerit ad illustrandam Dei gloriam, ac ad seuocandum populum à turpitudine ad cœlestem uitam, ab errore & superstitione, ad cognitionẽ & uerum cultum, & denique ut excludat alias

omnes, quolibet tempore, quas intellexerit abusu indecorè deformatas esse, quemadmodum in humanis traditionibus sæpe usu uenisse in diuersis Prouincijs, intelleximus.

Index & Calendarium, quo

EXPRIMITVR ORDO PSALmorum & Lectionum, ad preces Matutinas & Vespertinas, per totum annum, exceptis quibusdam Festis propriis, quemadmodum regulæ subsequentes planius explicabunt.

TOtum Psalteriũ prælegitur singulis mensibus. & quia non idem est numerus dierum in omnibus, sed aliqui plures, aliqui pauciores dies habent, placuit eos pares facere, quantum ad numerum dierum, hac ratione.

Cuilibet Mensi, quantum ad nostrum institutum attinet, deputantur triginta dies.

Et quia Ianuarius & Marcius unum & triginta habent dies in Calendariis, & horum medio Februarius viginti octo tantum, ideô is ab unoquoque illorum unum mutuabitur diem. Ita ut Psalterium quod legi debet mense Februario, incipiatur ultimo Ianuarij, & finiatur primo Martij.

Cum autem Maius, Iulius, Augustus, October & December, singuli triginta & vnũ dies habeãt, cõstitutum est, ut Psalmi qui penultimo die leguntur, sequenti etiam die, id est ultimo, repetantur, ut Psalterium primo die sequentium mensium possit incipi.

Iam ad intelligendum qui psalmi singulis diebus debeant prælegi, inspice numerum in Calendario, qui adscriptus est psalmis, & tunc quære eundem numerum in hac tabula, quo inuento, uidebis qui psalmi ad

Ma

Matutinas & Vesperas debeant recitari.

Quia uero psalmus 118. diuisus est in 22. periodos, & prolixior est, quam vt uno tempore legatur, constitutum est, ut una uice quatuor aut quinque periodi tantum legantur, ut in tabula signatum deprehendes.

Hoc autem considerandum est, quod in hac tabula, & in tota ordinatione, ubi mentio fit de numero psalmorum, sequuti simus supputationem veteris translationis, quia Hæbræi, à nono psalmo usque ad 146 aliter numerant quàm Latini in uulgata æditione.

Sequitur Tabula, monstrans ordinem Psalmorum, ad Matutinas & Vespertinas preces.

Psalmi.

dies.	Matutinæ.	Vespertinæ.
1	1. 2. 3. 4. 5.	6. 7. 8.
2	9. 10.	11. 12. 13.
3	14. 15. 16.	17.
4	18. 19. 20.	21. 22.
5	23. 24. 25.	26. 27. 28.
6	29. 30.	31. 32. 33.
7	34. 35.	36.
8	37. 38. 39.	40. 41. 42.
9	43. 44. 45.	46. 47. 78.
10	49. 50. 51.	52. 53. 54.
11	55. 56. 57.	58. 59. 60.
12	61. 62. 63.	64. 65. 66.
13	67.	68. 69
14	70. 71.	72. 73.
15	74. 75. 76.	77.
16	78. 79. 80.	81. 82. 83. 84
17	85. 86. 87.	88.
18	89. 90. 91.	92. 93.
19	94. 96.	97. 98. 99. 100.
20	101. 102.	103.
21	104.	105.
22	106.	107. 108.
23	109.110. 111. 112.	113. 114.
24	115. 116. 117.	118. Inde 4 periodi.
25	Inde quinq; periodi eiusdem.	Inde 4 periodi eiusdem.
26	Inde quinq; periodi eiusdem.	Inde 4 ultimi eiusdem.
27	119.120.121.122.123.124.	125.126.127.128.129.130
28	131. 132. 133. 134.	135. 136. 137.
29	138. 139. 140.	141. 142.
30	143. 144. 145.	146.147.148.149.150

Ordo Lectionum iuxta con

textum Bibliorum: ſepoſitis Pſalmis.

VEtus teſtamentum prima lectione recitatur in Matutinis & Veſperis: & quolibet anno debet finiri, exceptis quibuſdã libris & capitibus, qui ommittuntur, propterea quod non ſunt tam neceſſarij, quàm alij.

Nouum teſtamentum Alteri lectioni inſeritur in Matutinis & Veſperis: & ſingulis annis ter repetitur, unà cum Epiſtolis & Euangelijs, excepta Apocalypſi. ex qua lectiones aliquot Feſtis quibuſdam tribuuntur.

Nota. Vt autem ſcias quæ lectiones quolibet die legi debeant, quære diẽ menſis in ſequenti Calendario. Iſthic enim libros & capita inuenies lectionum, quę ad Matutinas & Veſperas recitabuntur.

In feſtis mobilibus, immobilibus, & Dominicis quæ propríos habent pſalmos & lectiones, relinquũtur Pſalmi & Lectiones nominati in Calendario.

Sciendum eſt etiam, Collectam, Epiſtolam, & Euangelium Dominicæ diẽi, repeti per totam ſeptimanam, niſi inciderit feſtum quod proprium habet officium.

In Boliſmo uel biſextili, quo uiceſimus quintus dies Februarij in duos diuiditur, utriuſq; diei idẽ eſt officium.

Vbicunq; principium Lectionis, Epiſtolæ vel Euangelij nõ exprimitur, incipiendũ eſt â principio capitis.

Et ubicunq; non exprimitur finis Lectionis, legendum eſt ad finem capitis.

Lecti-

Lectiones Propriæ, quæ pro

PRIMIS LECTIONIBVS RECI-

tabuntur, per totum annum, diebus Dominicis, ad preces Matutinas & Vespertinas. Aliæ quot etiam Secundæ lectiones.

Dominicæ Aduentus Dom.

Dñica	Matutinæ.	Vesperæ.
1	Esai. 1	Esa. 2.
2	5	24
3	25	26
4	30	32

Dominicæ post Natalem Domini.

1	Esai. 37	Esai. 38
2	41	43

Dominicæ post Epiphaniam.

1	Esai. 44	Esai. 46
2	51	53
3	55	56
4	57	58
5	59	64

Septuagesima.

	Gen. 1	Gen. 2

Sexagesima.

	Gen. 3.	Gen. 6

dñicæ.	Matutinæ.	Vesperæ.
	Dñica. Quinquagesimæ.	
	Genesis. 9	Genesis. 12
	Dominicæ Quadragesimæ.	
1	Gene. 19	Gene. 22
2	27	34
3	39	42
4	43	45
5	Exod. 3	Exod. 5
6	9	10
	Die Paschæ.	
	Exod. 12 Roma. 6	Exod. 14 Acto. 2
	Dominicæ post Paschæ.	
1	Num. 16	Num. 22
2	23	25
3	Deut. 4	Deut. 5
4	6	7
5	8	9
	Dominica post Ascensionem Dom.	
	Deut. 12	Deut. 13
	Die Pentecostes.	
	Deut. 17 Act. 10. Aperiens autem Petrus os. &c.	Deut. 18 Act. 19. Factũ est aũt cũ Apollo esset Corinthi. &c.
	Dominica Trinitatis.	
	Gene. 18 Matth. 3	Iosue. 1

Dñic.	Matutinæ.	Vespertinæ.
	Dominicæ post Trinitatem.	
1	Iosuę. 10	Iosuę. 23
2	Iudi. 4	Iudi. 5
3	1.Reg. 2	1.Reg. 3
4	12	13
5	15	16
6	2.Reg. 12	2.Reg. 21
7	22	24
8	3.Reg. 13	3.Reg. 17
9	18	19
10	21	22
11	4.Reg. 5	4.Reg. 19
12	10	18
13	4.Reg. 19	4.Reg. 23
14	Iere. 5	Iere. 22
15	Ierem. 35	Iere. 36
16	Ezech. 2	Ezec. 14
17	16	18
18	20	24
19	Danie. 3	Dan. 6
20	Ioel. 2	Mich. 6
21	Abacuc. 2	Prouer. 1
22	Prouer. 2	3
23	11	12
24	13	14
25	Pro. 15	16
26	17	19

Sequuntur lectiones propriæ Festorum dierum.

Propriæ Lectiones Festorum

dierum.

Dies.	Matutinæ.	Vesperæ.
Andreæ apost.	Prouerb. 20.	Prouerb. 21
Thomæ apost.	Prouerb. 23	Prouerb. 24

Die Natalis Domini.

lect. { 1 2 }	{ Esai. 9. Luc. 2. usq; ad homínibus bonę voluntatis.	{ Esa. 7. locutus est dñs ad Ac. Tit. 3. Apparuit bonitas.
Stephani prothomartyris	{ Prouerb. 28 Act. 6. & 7. Stepha. plenus usq;, Et post 40.	{ Eccle. 4 Act. 7. Et completis quadragínta annis.
Ioannis Euang.	{ Eccles. 5 Apoca. 1 }	{ Eccle. 6. Apoc. 22
Innocentum.	Iere. 31. vsq; ad Audiui Ephraī.	Sapient. 1
Circumcísionis.	{ Genesis. 17. Roma. 2 }	{ Deu. 10. & nūc Coloss. 2. (Isa.

Die Epiphaniæ.

1 2	{ Esa. 60. Luc. 3. Factum est autem cū baptizaretur. & c	{ Esa. 69. Ioa. 2. Post hęc descendit Capernaum.
Conuers. Pauli.	{ Sapien. 5. Act. 22. ūsq; ad Audiebant aūt.	{ Sapient. 6. Act. 2.

Die Purificationis Mariæ vir.

	gapient. 9.	Sapient. 12

Dies.	Matutinæ.	Vesperæ.
Mathię Apoſto.	Sapient. 19	Eccli. 1
Annunci. Marię	Eccli. 2	Eccli. 3
Fer. 4. ante paſc.	Oſee. 13	Oſee. 14
Cœnę Domini.	Dani. 9	Iere. 31
Paraſceues.	Gen. 22	Eſai. 54
Vigilia Paſchę.	Zach. 9	Exo. 13
Fer. 2. poſt paſch.	Exod. 16 / Matth. 28	Exod. 17 / Act. 3
Feria tertia. 1	Exod. 20	Exod. 32
Feria tertia. 2	Lu. 24. uſq; ad Et ecce duo ex.	1 Cor. 15
Marci euang.	Eccli. 4	Eccli. 5
Philip. & Iacobi.	Eccli. 7	Eccli. 9
Die Aſcenſionis Domini.		
	Deut. 10	Deut. 11
Fer. 2. poſt. Pent.	Deut. 30	Deut. 31
Feria tertia.	Deut. 32	Deut. 34
Barnabę Apoſt.	Eccli. 10 / Acto. 14	Eccli. 12 / Act. 15. uſq; ad poſt aliquot dies.
Die Ioannis Baptiſtæ.		
Lect. 1	Malach. 3	Malach. 4
Lect. 2	Matth. 3	Mat. 14. uſque ad, Cum audiſſet.
Petri apoſto. 1	Eccli. 15 / Acto. 3	Eccli. 19 / Acto. 4
Petri apoſto. 2		
Iacobi apoſto.	Eccli. 21	Eccli. 23
Bartholomęi.	Eccli. 25	Eccli. 29
Matthęi. apoſt.	Eccli. 35	Eccli. 38
Die Michaelis Angeli.		
	Eccli. 39.	Eccli. 44

Dies festi.	Matutinæ.	Vespertinæ.
Lucę Euangeli.	Eccle. 51	Iob. 1
Símonis & Iudę.	Eccle. 24 25	Iob. 42

Die omnium Sanctorum.

Lectio 1	Sapient. 3. usq; ad Quoniam felix est sterilis. &c.	Sap. 5. usq; ad. Et accipiet armaturam zelus illius.
Lectio 2	Heb. 11. & 12. Sancti per fidē. usque ad, Feratis castigationem.	Apo. 19. usq; ad Et ecce uidi Angelum.

Psalmi proprii festorum.

Die Natalis Domini.

Psalmi.		18. 44. 84	88. 109. 131.

Die Paschæ.

Psalmi.		2. 56. 110.	112. 113. 117.

Die Ascensionis Domini.

Psalmi.		8. 14. 23.	27. 67. 108.

Die Pentecostes.

Psalmi.		47. 66.	103. 144.

Finis.

Ianuarius habet xxxi dies.

				Matutinæ		Vesperæ.	
			ps.	Lect.1	2.	Lect.1.	2.
1	A	Circumcisio Domi.	1	Gen. 17	Rom.2.	Deut.10	Colo.2
2	b		2	Gen. 1	Mat.1.	Gen.2.	Rom.1
3	c	Genouefæ uirg.	3	3	2	4	2
4	d		4	5	3	6	3
5	e	Depo. Edwardi Re.	5	7	4	8	4
6	f	Epiphania Domini.	6	Esai. 60	Luc 3.	Esa.69.	Ioan.2.
7	g	Felicis & Ian.	7	Gen. 9	Mat.5	Gen.11	Rom.5
8	A	Luciani pres. cũ so.	8	12	6	13	6
9	b	Iudoci.	9	14	7	15	7
10	c	Pauli primi heremi.	10	16	8	17	8
11	d		11	17	9	19	9
12	e	Sol in Aquario.	12	20	10	21	10
13	f	Hilarij episcopi.	13	22	11	23	11
14	g	Felicis presbyteri.	14	24	12	25	12
15	A	Mauri & Isidori.	15	26	13	27	13
16	b	Marcelli martyris.	16	28	14	29	14
17	c	Sulpitij episc.	17	30	15	31	15
18	d	Priscę virginis.	18	32	16	33	16
19	e	Vlstani episcopi.	19	34	17	35	1.Cor 1
20	f	Fabiani & Sebast.	20	36	18	37	2
21	g	Agnetis virginis.	21	38	19	39	3
22	A	Vincentij martyris.	22	40	20	41	4
23	b	Emerentianæ uirg.	23	42	21	43	5
24	c	Timothei.	24	44	22	45	6
25	d	Conuersio Pauli.ap	25	46	Act.22.	47	Acto.26
26	e	Polycarpi mart.	26	48	Mat. 23.	49	1.Cor.7
27	f	Iuliani confess.	27	50	24	Exod.1	8
28	g	Agnetis uirginis.	28	Exod. 2	25	3	9
29	A	Valerij episcopi.	29	4	26	5	10
30	b	Batildis reginæ.	30	6	27	7	11
31	c	Saturni & Victoris.	1	8	28	9	12

Februarius habet xxviii dies.

				Matutinæ.		Vesperæ.	
			ps.	Lect. 1.	2	Lect. 8.	2
1	d	Brigidæ virginis.	2	Exo. 10	Marci. 1	Exo. 11.	1. Co. 13.
2	e	Purificatio Mariæ.	3	12	2	13	14
3	f	Blasij episc. & marty.	4	14	3	15	15
4	g	Gilberti confessoris	5	16	4	17	16
5	A	Agathæ vir. & mar.	6	18	5	19	2. Co. 1.
6	b	Vedasti & Amandi.	7	20	6	21	2
7	c	Anguli episcopi.	8	22	7	23	3
8	d	Pauli episcopi.	9	24	8	32	4
9	e	Appoloniæ uirginis.	10	33	9	34	5
10	f	Scholastica vir.	11	35	10	40	6
11	g	Sol in piscibus.	12	Leui. 18	11	Leui. 19	7
12	A	Eulaliæ uirginis.	13	20	12	Nu. 10.	8
13	b	Vlfranni episcopi.	14	Num. 11	13	12	9
14	c	Valentini episcopi.	15	13	14	14	10.
15	d	Faustini.	16	15	15	16	11
16	e	Iulianæ uirginis.	17	17	16	18	12
17	f	Policronij episcopi.	18	19	Lu. di. 1	20	13
18	g	Simeonis episc,	19	21	di. 2.	22	Galat. 1.
19	A	Sabini & Iuliani.	20	23	2	24	2
20	b	Mildredæ uirgin.	21	25	3	26	3
21	c	Sexaginta noue mar	22	27	4	28	4
22	d	Cathedra Petri apo.	23	29	5	30	5
23	e	Policarpi episcopi.	24	31	6	32	6
24	f	Mathiæ apostoli.	25	33	7	34	Ephe. 1.
25	g		26	55	8	36	2
26	A	Alexandri episcopi.	27	Deut. 1	9	Deu. 2.	3
27	b	Augustini episcopi.	28	3	10	4	4
28	c	Oswaldi epis. & conf.	29	5	11	6	5

Martius habet xxxi dies.

				Matutinæ.		Vespertinæ.	
				Lect.1.	2.	Lect.1.	2.
1	d	Dauidis episcopi.	30	Deut.7	Luc.12.	Deut.8	Ephe.6
2	e	Cedde epis.& confess.	1	9	13	10	Philip.1
3	f	Maurini & Asterij.	2	11	14	12	2
4	g	Adriani marty.	3	13	15	14	3
5	A	Foce & Eusebij.	4	15	16	16	4
6	b	Victoris.	5	17	17	18	Colo.1.
7	c	Perpetue.	6	19	18	20	2
8	d		7	21	19	22	3
9	e	Quadraginta mart.	8	23	20	24	4
10	f	Equinoctium vernũ.	9	25	21	26	1.Tes.1.
11	g	Sol in Arietẽ.	10	27	22	28	2
12	A	Gregorij epi. Roma.	11	29	23	30	3
13	b	Theodori mart.	12	31	24	32	4
14	c	Petri martyris.	13	33	Ioan. 1.	34	5
15	d	Longini martyris.	14	Iosue.1	2	Iosue. 2	2.Tes.1.
16	e	Hylarij & Tacoani.	15	3	3	4	2
17	f	Patricij episcopi.	16	5	4	6	3
18	g	Edwardi regis.	17	7	5	8	1.Tim.1
19	A	Ioseph sponsi Mari.	18	9	6	10	2. 3.
20	b	Cuthberti episcopi.	19	11	7	12	4
21	c	Benedicti abbatis.	20	13	8	14	5
22	d	Afrodosij episcopi.	21	15	9	16	6
23	e	Theodori presbyteri	22	17	10	18	2.Tim.1
24	f	Agapiti martyris.	23	19	11	20	2
25	g	Annũc.Mariæ virg.	24	21	12	22	3
26	A	Castoris marty.	25	23	13	24	4
27	b		26	Iudic.1.	14	Iudic.2.	Tit. 1.
28	c	Dorotheæ virginis.	27	3	15	4	2. 3.
29	d	Victorini.	28	5	16	6	Phile.1.
30	e	Quirini martyris.	29	7	17	8	Heb 1.
31	f	Adelmi episcopi.	30	9	18	10	2

Aprilis habet xxx dies.

				Matutinæ.		Vesperti næ.	
			ps.	Lect. 1.	2	Lect. 1.	2
1	g	Theodoræ virg.	1	Iudi. 11	Ioan. 19	Iud. 12	Heb. 3
2	A	Mariæ Aegyptiacę.	2	13	20	14	4
3	b	Richardi confessoris	3	15	21	16	5
4	c	Ambrosij episcopi	4	17	Acto. 1	18	6
5	d	Martiniani ep. mar.	5	19	2	20	7
6	e	Sixti epis. & mart.	6	21	3	Ruth. 1	8
7	f	Euphemie.	7	Ruth. 2.	4	3	9
8	g	Egesippi sociorũq;	8	4	5	1. Re. 2.	10
9	A	Perpetui episcopi.	9	1. Reg. 2	6	3	11
10	b	Passio septem uirgi.	10	4	7	5	12
11	c	Guthliaci confes.	11	6	8	7	13
12	d	Sol in Tauro.	12	8	9	9	Iaco. 1
13	e	Eufemię virginis.	13	10	10	11	2
14	f	Tiburcij.	14	12	11	13	3
15	g	Oswaldi archiepisc.	15	14	12	15	4
16	A	Isidori episcopi.	16	16	13	17	5
17	b	Aniceti episcopi Ro.	17	18	14	19	1. Pet. 1
18	c	Eleutherij & Anthi.	18	20	15	21	2
19	d	Alphegi martyris.	19	22	16	23	3
20	e	Victoris martyris.	20	24	17	25	4
21	f	Simonis martyris.	21	26	18	27	5
22	g	Sotheris.	22	28	19	29	2. Pet. 1
23	A	Georgij martyris.	23	30	20	31	2
24	b	Vlfridi confes.	24	2. Reg. 1	21	2. Re. 2	3
25	c	Marci Euangelist.	25	3	22	4	1. Ioa. 1
26	d	Cleti episcopi. Ro.	26	5	23	6	2
27	e	Anastasij episc. Ro.	27	7	24.	8	3
28	f	Vitalis martyris.	28	9	25	10	4
29	g	Petri Mediolanensis	29	11	26	12	5
30	A	Depositi. Erken. epis.	30	13	27	14	2. Ioa. 3

Maius habet xxxi dies.

				Matutinæ.		Vespertinæ.	
			ps.	Lect. 1	2.	Lect. 1.	2.
1	b	Philippi & Iacobi.	1	2. Re. 15	Acto. 8.	2. Re. 16	Iudæ. 1
2	c	Athanasij episcopi.	2	17	28	18	Rom. 1.
3	d		3	19	Math 1	20	2
4	e		4	21	2	22	3
5	f	Godardi.	5	23	3	24	4
6	g	Ioan. ante port. lat.	6	3. Reg. 1	4	3 Re. 2	5
7	A	Ioan. de Beuerlaco.	7	3	5	4	6
8	b		8	5	6	6	7
9	c		9	7	7	8	8
10	d	Gordiani & Epima.	10	9	8	10	9
11	e	Authonij martyris	11	11	9	12	10
12	f	Sol in Gemini.	12	13	10	14	11
13	g	Seruasij confessoris	13	15	11	16	12
14	A	Bonifacij martyris.	14	17	12	18	13
15	b	Isydori martyris	15	19	13	20	14
16	c	Brandani episcopi.	16	21	14	22	15
17	d		17	4 Re. 1	15	4. Re. 2	16
18	e	Dioscori martyris	18	3	16	4	1. Cor. 1
19	f	Dunstani episcopi	19	5	17	6	2
20	g	Bernardini.	20	7	18	8	3
21	A	Helenæ reginę	21	9	19	10	4
22	b	Iulianæ virginis	22	11	20	12	5
23	c	Desyderij martyris	23	13	21	14	6
24	d		24	15	22	16	7
25	e	Aldelmi episcopi	25	17	23	18	8
26	f	Augustini angl. epi.	26	19	24	20	9
27	g	Bedę presbyteri	27	21	25	22	10
28	A	Germani episc.	28	23	26	24	11
29	b	Coronis mart.	29	25	27	1. Esd. 1.	12
30	c	Felicis episc. Ro.	30	1. Esd. 2	28	3	13
31	d	Petronille uirgin.	30	4	Mar. 1.	5	14

Iunius habet xxx dies.

				Matutinæ.		Vespertinæ.	
			ps.	Lect.1.	2	Lect.1.	2
1	e	Nichomedis mart.	1	1.Esd.6.	Mar. 2.	1.Esd. 7	1.Cor.5
2	f	Marcellini marty.	2	8	3	9	6
3	g	Erasmi episc.	3	10	4	2.Esd.1.	2.Cor.1
4	A	Petroci confess.	4	2.Esd.2.	5	3	2
5	b	Bonifacij epis.Rom.	5	4	6	5	3
6	c	Melonis archiepisc.	6	6	7	7	4
7	d		7	8	8	9	5
8	e	Gulielmi archiep.	8	10	9	11	6
9	f		9	12	10	13	7
10	g	*Aestus incipit*	10	Heste.1.	11	Hest. 2.	8
11	A	Barnabæ apostoli.	11	3	Act. 14.	4	Act.15.
12	b	Sol in Cancro	12	5	Mar. 12	6	2.Cor.9
13	c	*Solstitium æstivale.*	13	7	13	8	10
14	d		14	9	14	Iob.1.	11
15	e	Viti & Modesti.	15	Iob.2.	15	3	12
16	f		16	4	16	5	13
17	g	Botulphi confessoris.	17	6	Luc. 1.	7	Galat.1.
18	A	Marci & marcelliani	18	8	2	9	2
19	b	Gerualij & Prothasij.	19	10	3	11	3
20	c		20	12	4	13	4
21	d	walburge uirg.	21	14	5	15	5
22	e	Albani mart.	22	16	6	17.18.	6
23	f	Etheldredæ uirg.	23	19	7	20	Ephe.1
24	g	Nat.Ioannis baptis.	24	Mala.3.	Mat.3.	Mala.4	Mat.14
25	A		25	Iob.21.	Luc.8.	Iob.22.	Ephe.2.
26	b	Ioannis & Pau.mar.	26	23	9	24.25	3
27	c	Crescentis.	27	26.27.	10	28	4
28	d	Leonis episcopi Ro.	28	29	11	30	5
29	e	Petri apost.	29	31	Act. 3.	32	Acto. 4
30	f	Commemora. pauli.	30	33	Luc. 12	34	Ephe6.

Iulius habet xxxi dies.

				Matutinæ.		Vesperting.	
			ós.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
1	g		1	Iob. 35.	Luc. 13	Iob 36	Phil. 1.
2	A	Visitatio mariæ uirg.	2	37	14	38	2
3	b		3	39	15	40	3
4	c		4	41	16	42	4
5	d	Zoæ virg. & marty.	5	Pro. 1.	17	Pro. 2.	Colo. 2.
6	e	Dies Caniculares inci-	6	3	18	4	2
7	f	piunt.	7	5	19	6	3
8	g		8	7	20	8	4
9	A	Cyrilli episcopi.	9	9	21	10	1. Tes. 2
10	b	Septem fratrum mar.	10	11	22	12	2
11	c	Benedicti abbatis	11	13	23	14	3
12	d	Naboris & Felicis.	12	15	24	16	4
13	e	Priuati martyris.	13	17	Ioan. 1.	18	5
14	f	Sol in Leone.	14	19	2	20	2. Tim. 1
15	g	Swithini & sociorũ.	15	21	3	22	2
16	A		16	23	4	24	3
17	b	Kenelmi regis.	17	25	5	26	1. Tim. 1
18	c	Arnulphi epis.	18	27	6	28	2. 3.
19	d	Rufinæ & Iustinæ.	19	29	7	30	4
20	e	Margaretæ uirginis.	20	31	8	Eccle. 1.	5
21	f	Praxedis uirginis.	21	Eccle. 2.	9	3.	6
22	g	Mariæ Magdalenæ.	22	4	10	5	2 Tim. 2
23	A	Appollinaris episco.	23	6	11	7	2
24	b	Christinæ uirgin.	24	8	12	9	3.
25	c	Iacobi apostoli.	25	10	13	11	4
26	d	Annæ matris Mariæ.	26	12	14	Ierem. 1	Tit. 1.
27	e	Septem dormientiũ.	27	Iere. 2.	15	3	2. 3.
28	f	Sampsonis episcopi.	28	4	16	5	Phile. 1.
29	g	Felicis & sociorum.	29	6	17	7	Heb. 1.
30	A	Abdon & Sennes.	30	8	18	9	2
31	b	Germani episcopi.	30	10	19	11	3.

Augustus habet xxxi dies.

				Matutinæ.		Vespertinæ.	
			ps.	Lect.1.	2	Lect.1.	2
1	c	Petri ad uincula	1	Iere. 12	Ioan.20	Iere.13.	Heb.4
2	d	Stephani epi.Ro.	2	14	21	15	5
3	e		3	16	Acto. 1.	17	6
4	f	Iustini presbyteri	4	18	2	19	7
5	g		5	20	3	21	8
6	A	Transfigur. Domi.	6	22	4	23	9
7	b	Festum nominis Iesu.	7	24	5	25	10
8	c	Ciriaci sociorumq;	8	26	6	27	11
9	d	Romani mart.	9	28	7	29	12
10	e	Laurentij martyris	10	30	8	31	13
11	f	Tiburci martyris	11	32	9	33	Iacobi.1
12	g	Clarę uirginis	12	34	10	35	2
13	A	Ipoliti & sociorum	13	36	11	37	3
14	b	Sol in Virgine.	14	38	12	39	4
15	c		15	40	13	41	5
16	d	Rochi mart.	16	42	14	43	1.Pet. 1.
17	e		17	44	15	45.46	2
18	f	Agapeti martyris	18	47	16	48	3
19	g	Magni martyris	19	49	17	50	4
20	A	Ludouici episcopi	20	51	18	52	5
21	b	Bernardi confess.	21	Lame.1	19	Lame.2	2.Pet. 1.
22	c		22	3	20	4	2
23	d	Timothei & Apoli.	23	5	21	Eze. 2.	3
24	e	Bartholomęi apost.	24	Eze. 3.	22	6	1.Ioan.1
25	f	Ludouici Regis.	25	7	23	13	2
26	g	Seuerini	26	14	24	18	3
27	A	Ruffi martyris	27	33	25	34	4
28	b	Augustini episc.	28	Dani.1.	26	Dani.2.	5
29	c	Decolatio Ioannis	29	3	27	4	2.3. Ioa.
30	d	Felicis & Audacti	30	5	28	6	Iudę. 1
31	e	Paulini episcopi	30	7	Math. 1	8	Rom.1

September habet xxx dies.

				Matutinæ		Vespertinæ	
			ꝟs.	Lect. 1.	2	Lect. 1.	2
1	f	Egidij abbatis.	1	Dani. 9	Mat. 2	Dani 10	Rom. 2.
2	g	Anthonij martyris.	2	11	3	12	3
3	A		3	13	4	14	4
4	b		4	Oze. 1.	5	Oze. 1. 3	5
5	c	Bertini abbatis.	5	4	6	5. 6.	6
6	d	Eugenij confessoris	6	7	7	8	7
7	e		7	9	8	10	8
8	f	Natiuitas Mariæ ui.	8	11	9	12	9
9	g	Aequinoct. autūnalæ.	9	13	10	14	10
10	A	Sol in Libra.	10	Ioel. 1.	11	Ioel 2.	11
11	b	Prothi & Iacincti.	11	3	12	Amo. 1	12
12	c	Martiniani episcopi.	12	Amo. 2	13	3	13
13	d		13	4	14	5	14
14	e		14	6	15	7	15
15	f		15	8	16	9	16
16	g	Edithę uirginis.	16	Abdia. 1	17	Ionas. 1	1. Cor. 1.
17	A	Lamberti episcopi.	17	Ioe. 2. 3	18	4	2
18	b	Victoris & Coronæ.	18	Mich. 1.	19	Mich. 2	3
19	c	Ianuarij martyris.	19	3	20	4	4
20	d	Eustachij.	20	5	21	6	5
21	e	Mathæi apo. & euan	21	7	22	Naum 1	6
22	f	Mauricij & sociorū.	22	Naum 2	23	3	7
23	g	Teclę uirginis.	23	Abac. 1.	24	Abac. 2.	8
24	A	Andochij martyris.	24	3	25	Soph. 1.	9
25	b	Firmini episcopi.	25	Soph. 2.	26	3	10
26	c	Cypriani & Iustinæ.	26	Agge. 1.	27	Agge. 2	11
27	d	Cosmę & Damiani.	27	Zach. 1	28	Zac. 2. 3	12
28	e	Exuperij episcopi.	28	4. 5.	Mar. 1.	6	13
29	f	Michaelis archangeli	29	7	2	8	14
30	g	Hieronimi presbyt.	30	9	3	10	15

October habet xxxi dies.

				Matutinæ.		Vespertinç.	
			Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
1	A	Remigij & Bauonis	1	Zac. 11	Mar. 4	Zac. 12	1. Co. 16
2	b	Leodegarij episcopi	2	13	5	14	2 Cor. 1
3	c	Candidi martyris.	3	Mala. 1	6	Mala. 2	2
4	d	Francisci confessoris.	4	3	7	4	3
5	e	Apolinaris martyris	5	Tob. 1.	8	Tob 2	4
6	f	Fidis uirginis.	6	3	9	4	5
7	g	Marci & Marcellini.	7	5	10	6	6
8	A	Pelagiæ uirginis.	8	7	11	8	7
9	b	Sol in Scorpione.	9	9	12	10	8
10	c	Gereonis & sociorũ	10	11	13	12	9
11	d	Nichasij epis: & mar	11	15	14	14	10
12	e	wilibfridi episcopi.	12	Iudi. 1.	15	Iudi. 2	11
13	f		13	3	16	4	12
14	g	Calixti episc Ro.	14	5	Iu. di. 1	6	13
15	A	Vlfranni episcopi.	13	7	di. 2	8	Galat. 1
16	b		16	9	2	10	2
17	c	Etheldredæ uirgi.	17	11	3	12	3
18	d	Lucæ euangelistæ.	18	13	4	14	4
19	e	Fredeswidę uirg.	19	15	5	16	5
20	f	Austrobertę uirgi.	20	Sapi. 1.	6	Sap. 2.	6
21	g	Vndecim mil: uirgi.	21	3	7	4	Ephe. 1
22	A	Mariç Salome.	22	5	8	6	2
23	b	Romani episcopi.	23	7	9	8	3
24	c	Maglorij episcopi.	24	9	10	10	4
25	d	Crispini & crispinia.	25	11	11	12	5
26	e	Euaristæ episco. Ro.	26	13	12	14	6
27	f	Florentij martyris.	27	15	13	16	Philip.
28	g	Symonis & Iudæ.	28	17	14	18	2
29	A	Narcisci episcopi.	29	19	15	Eccle 1	3
30	b	Germani & Capuaï.	30	Eccle. 2	16	3	4
31	c	Quintini episco.	30	4	17	5	Colo. 1

Nouember habet xxx dies.

				Matutinæ.		Vespertinæ.	
			ps.	Lect.1	2.	Lect. 1.	2.
1	d	Festum omniũ sanct.	1	Sapi.3.	He.11.12	Sap. 4.	Apo.19
2	e		2	Eccle. 6	Luc.18	Eccle.7	Colo.2
3	f	wenefredæ uirginis.	3	8	19	9	3
4	g	A mantij & Vitalis.	4	10	20	11	4
5	A	Leti presbyteri.i	5	12	21	13	1. Tes.1.
6	b	Leonardi abbatis.	6	14	22	15	2
7	c	willibrordi archiep	7	16	23	17	3
8	d	Sol in Sagittario.	8	18	24	19	4
9	e	Theodori.	9	20	Ioan. 1.	21	5
10	f	Martini episcopi.	10	22	2	23	2. Tes 1.
11	g	Martini episcopi.	11	24	3	25	2
12	A	Paterni. mart.	12	26	4	27	3
13	b	Bricij episcopi.	13	28	5	29	1. Tim.1
14	c	Transl. Erkenwaldi.	14	30	6	31	2. 3.
15	d	Machuti episcopi.	15	32	7	33	4
16	e		16	34	8	35	5
17	f	Hugonis episcopi.	17	56	9	37	6
18	g		18	38	10	39	2. Tim.1
19	A	Elizabethæ matro.	19	40	11	41	2
20	b	Edmundi regis.	20	42	12	43	3
21	c	Presentatio mariæ.	21	44	13	45	4
22	d	Ceciliæ uirginis.	22	46	14	47	Titus 1.
23	e	Clementis episc. Ro.	23	48	15	49	2. 3.
24	f	Grisogoni martyris.	24	50	16	51	Phil. 1
25	g	Katherinæ uirginis.	25	Baruc.1	17	Baruc.2	Hebr.1.
26	A	Lini episcopi Rom.	26	3	18	4	2
27	b	Agricolæ & Vitalis.	27	5	19	6	3
28	c	Rufi martyris	28	Esai. 1.	20	Esai.2	4
29	d	Saturnini.	29	3	21	4	5
30	e	Andreæ apostoli.	30	5	Act. 1.	6	6

December habet xxxi dies.

				Matutinæ.		Vespertinę.	
			Ps.	Lect.1.	2	Lect.1.	2
1	f	Eligij episcopi.	1	Esai. 7	Act. 2.	Esa.8.	Heb. 7.
2	g	Libanij.	2	9	3	10	8
3	A	Barbaræ uirgin.	3	11	4	12	9
4	b	Osmundi episcopi.	4	13	5	14	10
5	c	Sabbę abbatis.	5	15	6	16	11
6	d	Nicolai episcopi.	6	17	di. 7	18	12
7	e	Sol in Capricorno.	7	19	di. 7	20.21.	13
8	f	Concept. Mariæ uir.	8	22	8	23	Iacob.1
9	g	Solstitium hybernū.	9	24	9	25	2
10	A	Eualię uirginis.	10	26	10	27	3
11	b	Damasi episc. Ro.	11	28	11	29	4
12	c	Pauli episcopi.	12	30	12	31	5
13	d		13	32	13	33	1. Petr. 1
14	e	Othile uirginis.	14	34	14	35	2
15	f	Valerij episcopi.	15	36	15	37	3
16	g		16	38	16	39	4
17	A	Lazari episcopi.	17	40	17	41	5
18	b	Graciani episcopi.	18	42	18	43	2. Per. 1
19	c	Venesię uirginis.	19	44	39	45	2
20	d	Iulij martyris.	20	46	20	47	3
21	e	Thomę apostoli.	21	48	21	49	1. Ioan. 1
22	f	Triginta martyrum	22	50	22	51	2
23	g	Victorię uirginis.	23	52	23	53	3
24	A	Sanctarum uirg. 40.	24	54	24	55	4
25	b	Nativitas Domini.	25	Esai. 9.	Luc. 22.	Esai. 7.	Tit. 3.
26	c	Stephani prothomar.	26	56	Act. 6. 7	57	Act. 7.
27	d	Ioannis Euangelistę.	27	58	Apoc. 1.	59	Apo. 22
28	e	Sanct. Innocentium	28	Iere. 31.	Act. 25.	60	1. Ioa. 5
29	f		29	Esai. 61.	26	62	2. Ioa. 1
30	g		30	63	27	64	3. Ioa. 1
31	A	Silvestri epis. Rom.	30	65	28	66	Iude. 1.

De anno & partibus eius.

ANNVS proprie est illud spacium temporis, quo sol totum suum Zodiacum siue Signiferũ peragrat: quod tempus comprehendit dies 365. & sex horas fermè. Qui dies, efficiũt hebdomadas 52 & diẽ præterea unũ. Sex illæ horæ quater collectæ, integrum diem, quarto quoq; anno efficiunt intercalandum. Qui dies ita inserendus videbatur, ut temporum ratio Solis itineri perpetuò cõgrueret. utq; Solstitia & Aequinoctia, cæteraq; anni tempora, eosdem menses tanquam sedes obtinerẽt: quodq; dies reliqui omnes, adeoq; festa Immobilia, quæ uocant, easdem literas retineant, nec suis sedibus pellantur.

Quare in anno quarto, legendum est in fine mensis Februarij, videlicet 25. die, in sede litera F, bis Mat. Mat. ut sextus dies Kalendarũ (inde anno nomen Bissexto uel Bissextili) bis nominetur, propter diem illum quarto quoque anno ibidem inserendum. Vnde prima ex duabus illius anni literis dominicalibus seruit usque ad diem 24 Februarij, secunda uerò inde usque ad anni finem.

Hebdomadæ siue Septimanæ.

Annus Solaris siue Communis, habet Hebdomadas 52. & diem unum.

Hebdomada habet dies septem. Horum adpellationes partim à recepto usu ecclesiæ, partim à Iudæis & Astrologis ad nos transmissæ sũt. quorum diuersitatem hæc tabella ostendit.

Iudæi.		Astrologi.		Christiani.	
Prima uel una Sabbatorũ.		Solis.		Dominicus dies.	
Secunda		Lunæ.		Secunda	
Tertia		Martis		Tertia	
Quarta	Sabbati.	Mercurij.	Dies	Quarta	Feria.
Quinta		Iouis.		Quinta	
Sexta		Veneris.		Sexta.	
Sabbatum		Saturni.		Septima	

Cyclus Solaris.

MVTATIO literæ Dominicalis partim contingit ob reliquum diem super integras hebdomadas, partim ob

quaternis annis recurrentem, non potest ipsa in sua principia revolui citius, quam uiginti octo annorum perpetuò interuallo. Quater enim 7, efficiunt 28. Proinde hic Cyclus literarum Dominicalium complectitur 28 annos, & uocatur Solaris, quia ab ipsius ambitu per signiferum pendet. Cuius initium à Bissextili anno, in quo prior litera Dominicalis G esset, posterior F, non inconcinnè factum est, nempe ut anticipatio illa à postrema litera in primam recurreret.

Ipsum Cyclum hic in tabella subijciemus.

Cycl. sola.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
Lite. dom.	G	E	D	C	B	G	F	E	D	B	A	G	F	D
Bissextilis	F				A				C				E	

Cycl. sola.	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
Lit. Dom.	C	B	A	F	E	D	C	A	G	F	E	C	B	A
Bissextilis			G				B				D			

Iam ut huius tabellæ usus sit, tribue anno Domini 1560. unitatem, proximo binarium, tertio inde ternarium, donec ad finem perueniat. Itaque annus hic præsens 1560. currentis cycli solaris est 1, qui pariter cum 1587. anno terminabitur, ita ut anno 88. supra 1500, ordo iterum redeat ad unitatem, atque ita deinceps, quam diu hic mundus duraverit.

1560

Litera dominicalis ea est, quæ sub ipso Aureo numero posita, inuenitur. Si duæ occurrerint, est annus Bissextilis. Et litera quæ superiorē locum occupat, est Dominicalis, usq; ad ferias Matthiæ, quæ inferiorem, usq; ad finem anni.

Eadem ratione indagatur Aureus numerus & Epactæ. de quibus uide subiectam tabellam.

Aur. num.	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	1	2
Epactæ	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	11	22

De inuentione Paſchatis.

in perpetuum.

Aure. numer.

	A	B	C	D	E	F	G	Lit. Dom.
1	Apr. 9.	10	11	12	6	7	8	
2	Mar. 26	27	28	29	30	31	Ap. 1	
3	Apr. 16	17	18	19	20	14	15	
4	Apr. 9.	3	4	5	6	7	8	
5	Mar. 26	27	28	29	23	24	25	
6	Apr. 16	17	11	12	13	14	15	
7	Apr. 2.	3	4	5	6	Ma. 31	Apr. 1	
8	Apr. 23	24	25	19	20	21	22	
9	Apr. 9.	10	11	12	13	14	8	
10	Apr. 2.	3	M. 28	29	30	31	Apr. 1	
11	Apr. 16	17	18	19	20	21	22	
12	Apr. 9.	10	11	5	6	7	8	
13	Mar. 26	27	28	29	30	31	25	
14	Apr. 16	17	18	19	13	14	15	
15	Apr. 2.	3	4	5	6	7	8	
16	Mar. 26	27	28	22	23	24	29	
17	Apr. 16	10	11	12	13	14	15	
18	Apr. 2.	3	4	5	M. 30	31	Ap. 1	
19	Ap. 23	24	28	19	20	21	22	

In loco correſpondente numero Aureo & literæ Dominicali, inuenies quota die Martij uel Aprilis erit Paſchatis dies. Martius notatur hoc modo. Mar. uel M. Aprilis uerò hac nota: Apr. uel Ap.

De festis Mobilibus.

Inuento tempore Paschatis, reliquorum Festorum, quæ Mobilia nuncupantur, tempora, sine ullo negotio præfiniri possunt, quoniam eodem semper interuallo aut præcedunt πάσχα, aut sequuntur, ut ex hac tabella patet.

Septuagesima	Antecedunt Festum Paschatis.	9	Hebdomadibus.
Sexagesima		8	
Quinquagesima		7	
Quadragesima		6	
Rogationes	sequuntur Pascha	5	Hebdomadis.
Pentecoste		7	
Trinitatis		8	

Festum Ascensionis Domini sequitur Dominicam Rogationum proximo die Iouis, seu feria quinta.

Interuallum uocant uulgo spatium inter festum Natiuitatis Domini & dominicam Quinquagesimæ comprehensum, quod plerunq; præter integras hebdomadas, dies aliquot continet, quos appellant Concurrentes.

Dominica prima Aduentus, semper ea est, quæ Barbaræ festum proximè antecedit.

Immobilia Festa.

Reliqua festa dicuntur Immobilia, quia singula eisdem tum diebus mensium, tum literis septenarijs uelut perpetuis sedibus adfixa sunt. De quibus in genere hi uersus, quamuis inconditi, non tamen inutiles uulgo circumferuntur.

Sex sunt ad Puri, bis sex sunt usque Philippi.
Ad Iacobum totidem, nouem sunt ad Michaelem.
Sex ad Martini, sex ad Natalia Christi.
Adde dies octo, totus complebitur Annus.

Liber precum publicarum, in ecclesia ANGLICANA.

Ordo in Matutinis & Vespertinis precibus seruandus.

MAtutinæ preces & Vespertinæ, celebrabuntur in locis Ecclesiarum, Capellarũ & Chororum, consuetis, nisi aliter loci Ordinario visum fuerit. Chorus etiam manebit eadem forma, qua superiorum temporum fuit.

In principio Matutinarum precum, Administrator Sacrorum, clara & aperta voce pronunciabit vnam aliquam ex Sacræ scripturæ sententijs, quæ consequuntur. Post quam subijciet orationem, quæ Sententijs est apposita. Qui ordo etiam seruabitur in exordio precum Vespertinarum.

Sententiæ.

Si impius egerit pœnitentiam pro omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiam, vita viuet, & nõ morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, nõ recordabor: dicit Dominus. Ezech. 18.

Iniquitatem meam agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Psal. 51.

Psal. 1. Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Psal. 52. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, ô deus, ne contemnas.

Ioel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ clementiæ, qui se ab inferendo malo contineat.

Daniel. 9. Tui domini Dei nostri est misericordia & propiciatio, quia recessimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius.

Iere. 10. Psal. 6. Corripe nos Domine, veruntamen in Iudicio & non in furore tuo, ne fortè ad nihilū redigas nos.

Math. 3. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum.

Luce. 15 Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei; Pater, peccaui in cœlum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus.

Psalm. 42. Non intres in Iudiciū cum seruo tuo Domine, quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Ioan. 1 Si nos peccati expertes esse dicimus, falli-

mus

mus nos ipsos, nec est in nobis veritas.

Harissimi fratres: Sacra scriptura multis in locis nos cõmonefacit, vt multiplices nostras offensiones, & infinita peccata confiteamur & agnoscamus, nec vllam in conspectu Dei dissimulationem adhibeam⁹, sed errata, quocunq; ex genere sint, vniuersa, coram Deo denudem⁹, animo demisso syncerocq; contestemur, vt culpę tam salutaris agnitio, veniã ex summa Dei clemẽtia consequatur. Et quanq; peccata nostra semper in oculis Dei collocanda sunt, & nobis lamentabiliter commemoranda, tamen in hoc in publico cœtu precipuè fieri debet, in quo primum nos summas gracias agere conuenit, propter vberrimam Diuini numinis munificentiam, quæ nos omni genere beneficiorum cumulauit: Deinde Dei bonitas excellens prædicanda est, attendendæ sunt sacræ scripturæ: postremò precibus ardentissimis emendicandum est à Deo, quicquid animorum status aut corporis requirit. Quopropter omnes vos qui præsentes hic adestis, per Dei nomen obtestor, vt intimi sensus vestri, cum meo coniuncti pariter, ad cœlestis clementiæ thronum subuolent, & in hunc qui sequitur sermonem, succedatur.

Generalis confessio, ab uniuersa congregatione dicenda, genibus flexis.

OMnipotens & clementissime Pater, tã quam oues perditæ peregrinati sumus, & à uijs tuis aberrauimus. Inuentis & concupiscentijs cordis nostri nimium indulsimus: Sacrosanctas leges tuas violauim⁹. Quæ à nobis faciẽda fuerant omisimus, & quæ facienda non fuerant admisimus. In nobis nulla est salus. quapropter, ô Domine, propitius esto nobis miserrimis peccatoribus. Parce, ô Deus, peccata tua confitentibus: misericordiam concede resipiscentibus, iuxta promissiones tuas humano generi in Christo Iesu Domino nostro benignissimè reuelatas. Amplius etiam concede nobis, ô clementissime pater, propter filium tuum & seruatorem nostrum Iesum Christum, vt posthac piè, iustè, sobriéq; vitam nostram instituamus, ad sanctissimi tui nominis gloriam. Amen.

Absolutio per Ministrum solum pronuncianda.

OMnipotens Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui non vult mortem peccatoris, sed potiùs ut recedat à malis suis

ſuis moribus & viuat: deditq; poteſtatem ſuis miniſtris, imò præcipit, vt populo ſuo pœnitenti, abſolutionem, remiſſionemq; peccatorum ſuorum plane annunciarent, ipſe ſingulis verè pœnitentibus, & ſacroſancto Euangelio haud fictè credentibus, condonat, eóſq; certiſſimè abſoluit. Rogamus ergo, vt ille nobis ueram pœnitentiam largiatur, ſanctumq; ſuum ſpiritum impartiat, vt quod hoc tempore agimus, id illi totum placeat: & reliqua etiam noſtra uita adeò pura ſit in hoc mundo, & ſancta, ut in futuro gaudium conſequamur æternum, per Chriſtum Dominum noſtrum. Populus reſpondebit. Amen.

Tunc Miniſter ordietur, alta voce, Orationem Dominicam.

PAter noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Aduenìat regnum tuum. Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen. Mat. 6. Luc. 11.

Deinde Miniſter dicet.

DOmine, labia noſtra aperies.

Reſponſio.

Et os noſtrum annunciabit laudem tuam.

Miniſter.

DEus in adiutorium noſtrum intende.

Reſponſio.

Domine ad adiuuandum nos feſtina. Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Alleluia.

Tunc canatur Pſalmus ſequens.

Pſalm. 95.

VEnite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro.

Pręoccupemus faciem eius in confeſſione: & in pſalmis iubilemus ei:

Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos:

Quia in manu eius ſunt fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt.

Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus paſcuę eius, & oues manus eius.

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecũdum diem tentationis in deſerto,

Vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt, & viderunt opera mea.

Quadraginta annis offenſus fui generationi-

tioni illi: & dixi, Semper hi errant corde.

Et isti non cognouerunt vias meas: vt iurauí in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

TVnc sequentur Psalmi, ordine præmonstrato in Tabula, nisi Diei assignentur propriꝰ Psalmi. Et ad finem vniuscuiusque Psalmi, repetatur Gloria Patri & Filio.

Post psalmos, duæ Lectiones distinctè & clara voce pronunciẽtur, prior ex Veteri, posterior ex Nouo Testamento, vt in Calendario proponuntur, nisi Diei assignatę fuerint propię lectiones.

Minister eò modo versa facie stabit, quo commodius audiri possit.

Et initio cuiuslibet lectionis, Librum & Caput noui & veteris Testamenti, vnde lectio sumitur, indicabit, hoc modo: Primum, Secundum, Tertium vel Quartum, &c. caput Geneseos. Exodi. &c. Matthæi, Marci. &c. vt in Calendario præmonetur.

Et ad finem cuiuslibet capitis, sic: Finitur hoc vel illud Caput, talis Libri vel Euangelij, &c.

Et vt facilius intelligatur, in his locis vbi Musica figuralis cani solet, Lectiones, Epistolæ & Euangelia simpliciter & naturali tono, in modum perpetuæ dictionis distinctè legantur.

Post primam lectionem sequetur, per totum Annũ.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Canticum D. Ambrosij & Augustini.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli & vniuerſe poteſtates.

Tibi Cherubin & Seraphin, inceſſabili voce proclamant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus deus ſabaoth.

Pleni ſunt cœli & terra, maieſtatis glorię tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrũ candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ maieſtatis.

Venerandum tuum verum, et vnicum Filium.

Sanctum quoque paraclitum Spiritum.

Tu rex glorię Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominẽ, non horruiſti Virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes, in gloria Patris.

Iudex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pręcioſo Sanguine redemiſti.

Eterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Saluum

Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos vſq; in æternum.

Per ſingulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Dignare Domine die iſto, ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.

Aut Hymnus.

BEnedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eũ in ſecula. Dani. 3.

Benedicite angeli Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite cæli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite Sol & luna Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſtellę cœli Domino: laudate &

ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnis imber & ros Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnis ſpiritus Dei Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula,

Benedicite ignis & æſtus Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite frigus & æſtas Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite rores & pruina Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite gelu & frigus Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite glacies & niues Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite noctes & dies Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite lux & tenebræ Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite fulgura & nubes Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

Benedicite montes & colles Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite vniuerſa germinātia in terra domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite fontes Domino: laudate & ſuperexaltate

perexaltate eum in ſecula.

Benedicite maria & flumina Domino:laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite cete & omnia quę mouentur in aquis Domino:laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnes volucres cæli Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnes beſtię & pecora Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite filij hominum Domino:laudadate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicat Iſrael Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſerui Domini Domino:laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum domino:laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſancti & humiles corde Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Gloria patri & filio: et ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio et nunc & ſemper: & in ſecula ſeculorum. Amen.

 Deinde

Deinde sequatur lectio secunda.qua finita, canatur Hymnus Zachariæ.

Luce.1. BEnedictus Dominus deus Israel:quia visitauit & fecit redemptionem plebi suæ.

Et erexit cornu salutis nobis:in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum:qui à seculo sunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris : & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patrib⁹ nostris:& memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum:daturum se nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati:seruiamus illi,

In sanctitate & iustitia coram ipso:omnib⁹ diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini,parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri:in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria

Gloria Patri & Filio: & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc & semper:
& in secula seculorum. Amen.

Aut Psalmus.

IVbilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia. Psalm. 100.

Introite in conspectu eius: in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus eius & oues pascuę eius, introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius: & vsque in generatione & generationem veritas eius. Gloria patri. &c. Sicut erat. &c.

Deinde dicatur, Ministro & Populo stantibus

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorẽ cœli & terrę. Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrũ. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato: crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna. Tertia die resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in spiritum san-

ctum. Sanctam ecclesiam Catholicam. Sanctorum communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

Post hæc sequuntur per totum annum, ad Matutinas & Vespertinas, hæ preces, omniũ genibus religiose flexis.

Minister:

Dominus vobiscum.

Responsio.

Et cum spiritu tuo.

Minister.

Oremus. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Deinde à Ministro & tota Ecclesia dicatur alta voce.

Pater noster qui es in Cœlis, &c.

Minister erigens se, dicet.

Ostende nobis Domine misericordiam tuã.

Responsio.

Et salutare tuum da nobis.

Minister.

Domine saluam fac Reginam.

Responsio.

Et exaudi nos cum inuocamus te.

Minister.

Sacerdotes tui induantur Iustitia.

Responsio.

Et sancti tui exultent.

Mi-

Minister.

Saluum fac Populum tuum Domine.

Responsio.

Et benedic Hęreditati tuæ.

Minister:

Da pacem Domine in diebus nostris.

Responsio.

Quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Minister.

Cor mundum crea in nobis ô Deus.

Responsio.

Et Spiritum sanctum tuū ne auferas à nobis.

Has preces, sequentur quotidie tres Collecte. Prima de Die, ea scilicet quæ assignatur dicenda ad Communionem eo die. Altera pro pace. Tertia pro gratia Dei, perseuerantia in Fide & vera doctrina. Posteriores autem duæ nunquam mutantur, sed per integrum annum dicuntur ad Matutinas & Vesperas.

Collecta pro Pace.

Minister.

Oremus.

DEus autor pacis & amator, quem nosse, viuere: cui seruire, regnare est: protege ab omni oppugnatione supplices tuos, vt qui in tua protectione confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per Christum dominum nostrum. Amen.

Collecta

Collecta pro Gratia.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui nos ad principium huius diei peruenire fecisti, tua nos hodie serua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus mortale peccatum, nec vllum incurramus periculum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam, omnis nostra actio, tuo moderamine dirigatur. Per Iesum Christum Do. nr̄m. Amen.

In festis Natalis Domini, Epiphaniæ, Mathiæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Ioannis Baptistæ, S. Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Simonis & Iudæ, & S. Andreæ, ad matutinas statim post Benedictus, canetur Symbolum Athanasij.

QVicunque vult saluus esse: ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inuiolatāq; seruauerit: absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hęc est, vt vnum Deum in trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes personas: neque substantiam separantes.

Alia est enim persona patris: alia filij, alia spiritus sancti.

Sed patris & filij & spiritus sancti vna est diuinitas: æqualis gloria, coeterna maiestas.

Qualis pater, talis filius: talis spiritus sanct⁹.

Increatus

Increatus Pater, increatus Filius : increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius: immẽsus Spiritus sanctus.

Eternus Pater, æternus Filius: ęternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni: sed vnus ęternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus, & vnus immensus.

Similiter, omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres dñi: sed vnus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini: sed vnus est Dominus.

Quia sicut singulatim vnãquanque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres deos aut dominos dicere, catholica religiõe prohibemur.

Pater à nullo est factus: nec creatus nec genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio eſt: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus ergò Pater, non tres patres, vnus Filius, non tres filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres ſpiritus ſancti.

Et in hac trinitate nihil prius aut poſterius: nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Ita vt per omnia, ſicut iam ſupra dictum eſt: & vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe: ita de Trinitate ſentiat:

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem: vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur: quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus: & homo ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

Aequalis Patri ſecundum diuinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit & homo: non duo tamẽ, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus

Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnẽ: sed assumptione humanitatis in deũ.

Vnus omnino non confusione substantiæ: sed vnitate personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterq; crediderit: saluus esse non poterit.

Gloria Patri & filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper: & in secula seculorum. Amen.

Ordo Vesperarum, per totum *Annum*.

Sacerdos siue Minister dicet.

Pater noster qui es in cœlis. &c.

Deinde

Domine labia nostra aperies.

Responsio.

Et os nostrum annunciabit laudem tuam.

Minister.

EVS in adiutorium nostrū intende.

Responsio.

Domine ad adiuuandum nos festina.

Gloria. &c. Sicut. &c.

Alleluia.

Posteà canuntur Psalmi præmonstrati in Tabula, nisi festum fuerit quod proprios habeat Psalmos. Hos sequitur prima Lectio ex veteri Testamēto, nisi fuerint propriæ Lectiones Festi.

Deinde canitur.

Luce. 1. MAgnificat anima mea Dominum.

Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius,

Et

Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.

Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordię suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham & semini eius in secula. Gloria. &c.

Vel Psalmus.

CAntate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Psalm. 98.

Saluauit sibi dextera eius: & brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suã.

Recordatus est misericordię suæ: & veritatis suę domui Israel.

Viderunt omnes termini terrę: salutare Dei nostri.

Iubilate Domino omnis terra: cantate & exultate & psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubę corneæ.

Iubilate in conſpectu regis Domini: moueatur mare & plenitudo eius: orbis terrarum & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabũt à conſpectu Domini: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia: & populos in æquitate.

Gloria Patri. &c. Sicut erat. &c.

Lectio Secunda ex nouo Teſtamento: poſt quam finitam, canatur Canticum Simeonis.

Luce. 2. NVnc dimittis ſeruum tuum Domine: ſecundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: ſalutare tuum.

Quod paraſti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Gloria patri. &c. Sicut erat in principio.

Vel

Pſa. 67. DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iu-

dicas

dicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructū suū.

Benedicat nos Deus Deꝰ noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri. &c. Sicut erat. &c.

His finitis, adduntur Symbolum cum alijs suffragijs suprà ad Matutinas prescripta, cum tribus Collectis, quarum Prima sit de die: Secunda pro Pace: Tertia pro Dei adiutorio aduersus omnia pericula.

Collecta secunda ad Vesperas, pro Pace.

DEus à quo sancta desideria, recta cōsilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam quam mundus dare nō potest Pacem, vt corda nostra mandatis tuis dedita, & hostiū sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Iesum Christū Dominū nr̄m.

Collecta tertia pro Dei adiutorio aduersus omnia pericula.

ILlumina quæsumus Domine Deꝰ tenebras nostras, & totius noctis insidias tu à nobis repelle propicius. Per dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Hæ duæ suprascriptæ Collectæ, dicuntur ad Vesperas per totum Annum, absq; variatione.

Finis Vespertinarum precum.

Sequitur Letania & Suppli

cationes, cantandæ diebus Dominicis, ferijs quartis, & ſextis, atq; alijs temporibus, cum per Ordinarios ordinatum fuerit.

Pater de cælis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Pater de cælis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili redemptor mundi Deus, miſerere. &c.

Spiritus ſancte Deus, à Patre & filio procedens, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus ſancte Deus, à Patre. &c.

Sancta, beata, & glorioſa Trinitas, tres perſonæ, vnus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata, & glorioſa Trinitas. &c.

Ne memineris Domine iniquitatum noſtrarum, vel parentũ noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris, parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti prę-cioſo ſanguine tuo, & ne in perpetuum iraſcaris nobis.

Parce nobis Domine.

Ab

Ab omni peccato, malo, & infortunio, ab insidijs diaboli, ab ira tua, & æterna damnatione.

Libera nos Domine.

A cœcitate cordis, Superbia, Ambitione, Hypôcrisi, Ira, Odio, Malitia & Discordia.

Libera nos Domine.

A fornicatione & alijs omnibus peccatis mortalibus, & à tentationibus carnis, mundi, & diaboli.

Libera nos Domine.

A fulgure & tempestate, à plaga & pestilentia, famę, bello, latrocinio, & morte subitanea.

Libera nos Domine.

Ab omni seditione & conspiratione, à falsis & hæreticis dogmatibus, à duritia cordis, & contemptu verbi & mandati tui.

Libera nos Domine.

Per mysterium sanctę incarnationis, natiuitatis, circumcisionis, baptismi, ieiunij, & tentationis tuæ.

Libera nos Domine,

Per Agônem & sanguineum sudorem, per crucem & passionem, per pretiosam mortem & sepulturam, per gloriosam resurrectionē, & ascensionem tuam in cœlos, & aduentum Spiritus sancti.

Libera nos Domine.

In tempore tribulationis & prosperitatis nostræ, in hora mortis & in die iudicij.

Libera nos Domine.

Te rogamus ô Deus nos peccatores exaudias, vt Ecclesiam tuam sanctam Catholicam regere & gubernare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt famulam tuã Elizabetham, Reginam & gubernatricem nostram clementissimã, in vera tui adoratione, in iustitia & sanctitate vitę confirmare & custodire digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt eius mentem in tua fide, tui amore & timore, vt semper in te confid at, & vt in omnibus honorem & gloriam tuam quærat & promoueat, dirigere digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt Eam seruare & defendere, & ei victoriam contra oēs hostes suos cōcedere digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt Episcopos, pastores & ministros ecclesię, vera cognitione & recto intellectu verbi tui illuminare, & vt tam doctrina quàm vita illud promoueant.

Te rogamus audi nos.

Vt Consiliarios regios, & totam nobilitatem Regni, gratia, sapientia & intellectu illu-

Te-

ſtrare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt Magiſtratui noſtro benedicere, eíque gratiam conferre vt exequatur iuſtitiam, & cuſtodiat veritatem.

Te rogamus audi nos.

Vt populo tuo vniuerſo benedicere, eúmque ſeruare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt omnibus Gentibus vnitatem, pacem, & concordiam donare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt mentes noſtras ad verum amorem & timorem tui inflammare, & ad mandatorū tuorum obſeruantiam inclinare velis.

Te rogamus audi nos.

Vt populo incrementum gratię, vt verbū tuum humiliter audiat, & puro corde amplectatur, & fructus ſpiritus proferat, donare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt errantes & deceptos in viam veritatis reuocare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt ſtantes confirmare, imbecilles ſuſtentare, & cadentes erigere, ac Sathanam ſub pedibus noſtris conculcare velis.

Te rogamus audi nos.

Vt defendas, iuues, consolêris omnes in periculis, necessitatibus, & molestijs constitutos.

Te rogamus audi nos.

Vt peregrinantibus terra mariq; parturientibus, ægrotantibus, & infantibus, captiuis & incarceratis, succurrere velis.

Te rogamus audi nos.

Vt pupillis & orphanis, viduis, desolatis & oppressis, prospicere digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt omnibus hominibus miserearis.

Te rogamus audi nos.

Vt inimicis & persecutoribus nostris ignoscas, & eorum corda ad pœnitentiã conuertere velis.

Te rogamus audi nos.

Vt fructus terræ dare & conseruare digneris, vt suo tempore piè eis vtamur.

Te rogamus audi nos.

Vt veram pœnitentiam & remissionem peccatorũ nobis largiri, negligentias & ignorantias nobis condonare, gratiam Sancti spiritus, & emendationem vitę nobis donare digneris.

Te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi:

Dona nobis Pacem.

Agnus

Agnus Dei qui tollis peccata mundi:
Miserere nobis.
Christe audi nos,
Christe audi nos.

Kyrie eleyson.	Resp.	Kyrie eleyson.
Christe eleyson.		Christe eleyson.
Kyrie eleyson.		Kyrie eleyson.

Pater noster qui es in cœlis, sanctifi. &c.
Et ne nos inducas in temptationem.
Sed libera nos à malo.
Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.
Neque secundũ iniquitates nostras retribue nobis.

Oremus.

DEus misericors Pater, qui contritorũ nõ despicis gemitũ, & mœrentium nõ spernis affectum, adesto precib⁹ nostris, quas tibi in angoribus nostris effundim⁹, easq; clemẽter suscipere dignare, vt quicquid contra nos diabolicæ atq; humanæ moliuntur aduersationes, ad nihilum redigatur, & consilio tuæ pietatis elidatur, vt nos tui serui, nullis infestationibus læsi, in ecclesia tua sancta tibi gratias referamus: Per Iesum Christũ Dominũ nostrum.

Exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.

Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri

noſtri annunciauerunt nobis opera admirãda, quæ operatus es in diebus eorũ, & in diebus antiquis.

Exurge Deus, adiuua nos, & libera nos propter honorem tuum.

Gloria Patri. &c. Sicut erat. &c. Amen.

Ab inimicis noſtris libera nos Chriſte.

Reſpice clementer afflictiones noſtras.

Aſpice dolorem cordis noſtri.

Propicius eſto peccatis populi tui.

Benigne audi orationes noſtras.

O fili Dauid, miſerere nobis.

Et nunc & ſemper dignare exaudire nos ô Chriſte.

Chriſte exaudi nos:

Exaudi nos clementer Domine Ieſu Chriſte.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

Sicut ſperamus in te.

Oremus.

INfirmitates nr̃as quęſumus Domine benignè reſpice, & propter gloriã nominis tui, mala omnia quę iuſtè pro peccatis noſtris meremur, à nobis clementer auerte: & præſta, vt in cunctis aduerſitatibus omnem noſtrã fiduciam collocemus in miſericordia tua, & tibi ſemper in puritate vitæ ſeruiamus, ad gloriã tui nominis: Per vnicum mediatorem noſtrũ & aduocatum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro

Pro Regina.

O Domine Pater noſter cęleſtis, qui maximus protentiſsimusq; es Rex regum & Dominus dominantium omnium principum, ſolus & vnicus moderator & gubernator, qui ab excelſo & ſummo throno tuo, omnes mundi incolas intuêris, ſuppliciter te rogamus, vt Reginam noſtram Elizabetham, clementer & benigno vultu reſpicere digneris, & eam tui ſancti Spiritus gratia ita adimplere, vt ſemper ad tuam voluntatẽ perficiendam dedita, in vijs tuis ambulet. Accumula in eã cœleſtia tua dona: vitam illi fœlicem & diuturnam largire, vt diu fœliciterq; regnet, hoſtes omnes ſuperet ſuos, & poſt hãc vitam gloria perfruatur æterna. Per Chriſtũ Dominum noſtrum. Amen.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prętende ſuper famulos tuos Pontifices & Miniſtros, & ſuper cunctas congregationes illis commiſſas, ſpiritum gratiæ ſalutaris, & vt in veritate tibi complaceant, perpetuũ eis rorem tuæ benedictionis infunde, per Aduocatum & Mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Precatio Diui Chrysostomi.

OMnipotens sempiterne Deꝰ, qui nobis gratiã dedisti, vt hoc tempore vnanimiter congregati, preces nostras ad te offerremus, quiq; polliceris, vt vbi duo vel tres cõgregati fuerint in tuo nomine, te eorum supplicationes clementer exauditurum, petimꝰ, vt vota & preces tuorum famulorum, prout tibi videbitur eorum saluti maximè expedire, perficias, & prẽsta nobis in hac vita tuæ veritatis cognitionem, & in futura, vitam æternam. Amen.

ij. Corinth. xiij.

GRatia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei, & cõmunicatio sancti Spiritꝰ, sit semper cum omnibus nobis. Amen.

Pro Pluuia petenda, tempore necessitatis.

DEus pater cœlestis, qui per filium tuum vnigenitũ promisisti vniuersis tuũ regnũ & eius iustitiam quærentibus, oĩa huic vitæ necessaria, da nobis quẽsumꝰ in hac nostra necessitate, pluuiam & imbres tempestiuos, vt terrę fructus, ad corporis nostri consolationẽ, tui nominis honorẽ, recipere possimus. Per Iesum Christum Dñm no. Amen.

Pro

Pro Aëris serenitate.

DOmine Deꝰ, qui propter peccata hominis semel submersisti mundum vniuersum, octo hominibus solũ exceptis, & postea singulari ductus misericordia, promisisti illũ nunquam penitus submergendum, supplices te rogamus, etsi ob iniquitates nostras has pluuiæ & aquarũ inundationes sumus commeriti, digneris tamen nos ad veram pœnitentiam conuertere, & talem nobis tribuere cœli serenitatem, vt terrę fructus tempore oportuno recipiamus, tuoq; hoc supplicio admoniti, vitam nostram emendare discamus, atque ob tuam in nos clementiam, tuas laudes & honores, perpetuò celebrare valeamꝰ. Per Iesum Christum Dominũ nostrũ. Amen

Tempore Caritatis & Famis.

DEꝰ pater cœlestis, cuius beneficio pluuia decidit, terra fit frugifera, animantia crescũt, & pisces multiplicantur: intuere quęsumus afflictiones populi tui, & largire, vt hæc penuria caritasq; annonæ, quam nunc iustissime propter peccata nostra patimur, bonitate misericordiæ tuę vertatur in copiam & abundantiam. Hæc nobis clementissime pater cõcede, propter amorem Iesu Christi Domini nostri, cui tecum & sancto spiritui, laus, honor & gloria in ómnem ęternitatẽ. Amen

Tempore belli.

OMnipotens Deus, Rex regũ, & omniũ gubernator, cui⁹ potentiæ nulla creatura reſiſtere poteſt, cui propriũ eſt peccatores punire, & eorũ miſereri qui verè agunt pœnitentiam, ſerua & libera nos, ſuppliciter te petimus, à manu inimicorum, reprime eorum ſuperbiam, minue malitiam, diſsipa illorum machinationes, & aſtutias, vt nos tuis armis muniti, ſemper ſeruemur ab omnibus periculis, ad glorificandum te, qui es vnicus victoriæ largitor: propter merita vnigeniti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Tempore peſtis, mortalitatis, ſiue morbi.

OMnipotens Deus, qui tempore Regis Dauid, in ira tua, ſeptuaginta millia hominum interfeciſti, & tamen tuæ miſericordię memor, conſeruaſti reliquos, miſerere noſtri miſerorum, qui nunc varijs morbis & graui mortalitate affligimur, vt quemadmodum angelis tuis à ſupplicio inferendo ceſſare iuſſiſti, ita quoque nunc & hanc peſtem à nobis amouere digneris. Per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum. Amen.

Deus

DEus, cui propriũ eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe has precationes noſtras, vt quos delictorum catena miſerè conſtringit, clementia tuæ miſericordiæ liberè abſoluat, propter merita Ieſu Chriſti, noſtri mediatoris vnici. Amen.

Finis Letaniæ.

Collectæ, Epistolæ,

ac Euangelia, ad sacram Communionem, siue in Cœna Domini dicenda, per totum annum.

Dominica prima Aduentus.

Collecta.

DA nobis quæsumus omnipotens Deus, vt abiectis operibus tenebrarũ, induamur arma lucis in hac mortali vita, in qua Iesus Christus filius tuus cum magna humilitate ad nos visitãdos aduenit, vt in extremo die, quo rediturus est cum gloria Maiestatis suæ ad iudicandos viuos & mortuos, resurgamus ad vitã immortalem. Per Chrm dominũ nrm, qui tecum viuit & regnat in vnitate sancti Spiri9, per. &c

Epistola. ad Roma. Cap. xiij.

NEmini quicquam debeatis, nisi hoc, vt inuicem diligatis. Nam qui diligit alterũ, legem expleuit. Siquidem illa: Nõ mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud prẽceptũ, in hoc sermone summatim comprẽhenditur: nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio, proximo malum non operatur. Consummatio itaque

Deu. 5.

Leu. 19

Mat. 12

que legis, est dilectio: Præsertim cùm sciamus tempus, quòd tempestiuum sit, nos iam à sõno expergisci. Nunc enim propius adest nobis salus, quàm tum, cum credebamus. Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis: tanquam in die compositè ambulemus, non comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lasciuijs, non contentione & æmulatione, sed induamini Dominum Iesum Christum: & carnis curam ne agatis ad concupiscentias. Gala. 5. Iaco. 2. Luc. 21.

Euangelium. Matthæi. xxi.

ET quũ appropiquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem oliuarum, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite & adducite mihi. Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet: & confestim emittet eos. Hoc autem totum factũ est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt Mar. 11 Luc. 19 Ioan. 12 Zac. 9. Esa. 69.

ſuper eos veſtimenta ſua, & eũ ſuper illa collocarũt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alĩ verò cędebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Porrò turbæ quę præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hos anna filio Dauid,
Pſal.117 Benedictus qui venit in nomine Dñi, Hos anna in altiſſimis. Et quum intraſſet Hieroſolyma, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? Turbæ autem dicebant: Hic eſt Ieſus ille propheta à Nazareth Galilęæ. Et intrauit Ieſus in templum Dei, & ęiciebat omnes vendentes & ementes in templo, menſásque nummulariorum, & cathedras vendentiũ columbas, euertit, & dixit eis: Scriptũ eſt,
Eſa.56. Hier.7. Domꝰ mea, domꝰ deprecationis vocabitur.

Dominica ii. Aduentus.

Collecta.

BEnedicte Deus, qui effeciſti vt quęcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcriberentur, concede nobis, vt ita ſcripturam attẽte audiamus, legamus, diſcamus, & intelligamus, ſynceréque obſeruemus, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum retineamus ſpem vitæ ęternæ, quam dediſti nobis in ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto, cui tecum & ſancto ſpiritui, ſit honor & gloria, per omnia ſecula

ſecula ſeculorum. Amen.

Epiſtola ad Romanos. xv. capite.

QVæcunque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & conſolationis, det vobis idem mutuò inter vos ſentire, ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimiter vno ore glorificetis Deum ac patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quapropter aſſumite vos inuicem, quemadmodum & Chriſtus aſſumpſit nos in gloriã Dei. Illud autẽ dico, Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis pro veritate Dei, ad confirmãdas promiſsiones patrum: cęterũ vt gentes pro miſericordia glorificent Deum: ſicut ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo canam. Et rurſum dicit: Gaudete Gentes cũ populo eius. Et rurſum: Laudate dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi. Et rurſum Eſaias dicit: Erit radix Ieſſe, & qui exurget ad imperandũ gentibus: in eo gentes ſperabunt. Pſa. 17. Deu. 32 Pſal. 116 Eſa. 11.

Euangelium Lucæ xxi.

ERunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis, & in terris anxietas Gentium per deſperationem, reſonante mari & fluctu, extabeſcentibus hominibus, præ timore & expectatione eo- Mat. 24 Mar. 13 Eze. 38 Oſe. 20 Apo. 6.

ne eorum, quę ſuperuenient orbi terrarum. Nam virtutes cœlorum mouebuntur, & tũc videbunt filium hominis venientem in nube, cum poteſtate & gloria magna. His autem fieri incipientibus, ſuſpicite & attollite capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficum & omnes arbores quum protrudũt iam gemmas, cernentes ex vobis ipſis, ſcitis quod iam inſtet æſtas. Ita & vos quũ videritis hæc fieri, ſcitote quod inſtet regnum Dei. Amen dico vobis, non pręteribit ętas hęc, antequã omnia facta fuerint. Cœlum & terra tranſibũt verba autem mea non tranſibunt.

Dominica tertia Aduentus.

Collecta.

AVrem tuam quęſumus Domine precibus noſtris accõmoda, & mentis noſtrę tenebras, gratia tuę viſitationis illuſtra, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. &c.

Epiſtola. i. Cor. iiij.

SIc nos æſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei: quod ſupereſt autem, illud requiritur in diſpenſatoribus, vt fidus aliquis reperiatur. Mihi verò pro minimo eſt, vt à vobis dijudicer, aut ab humano iudicio: imò nec meipſum dijudico. Nullius enim rei mihi conſcius ſũ:

ſed

sed non per hoc iustificatus sum: cæterum qui me iudicat, Dominus est. Proinde ne ante tempus quicquam iudicetis, donec venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium, ac tunc laus erit vnicuique à Deo.

Euangelium. Matthæi cap. xi.

IOannes autem cùm audisset in carcere facta Christi, missis duobus discipulis suis, dixit Illi: Tu es ille qui venturꝰ est, an alterum expectamus? Et respondens Iesus dixit illis: Ite, & renunciate Ioanni, ea quę auditis & videtis: Cæci visum recipiũt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuncium: Et beatus est, quisquis non fuerit offensus per me. Euntibꝰ autem illis, cœpit Iesus dicere turbis de Ioanne: Quid existis in desertum vt videretis? nũ arundinem, quæ agitatur à vento? Agè, quid existis vt videretis? num hominem mollibus vestibus amictum? Ecce qui mollia gestant, in domibus Regum sunt. At quid existis videre? num Prophetam? Certè dico vobis, & excellentiorem Propheta. Hic est enim de quo scriptũ est: Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparaturus est viam tuam ante te. Luc. 7. Esa. 35. Esa. 61. Mal. 3. Mar. 1.

Dominica quarta Aduentus.

Collecta.

EXcita quæsum9 Domine potentiã tuam & veni, & magna nobis virtute succurre, vt per auxiliũ gratię tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tua miserationis acceleret. Per Christum do. &c.

Epistola. Philip. iiij.

1. The. 5 GAudete in Domino semper, & iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus propè est. De nulla re sollíciti sitis, sed in omni petitione & obsecratione, cum gratiarum actione Ioa. 14. petitiones vestrę innotescant apud Deum. Et Rom. 5 pax Dei quę superat omnem intellectum, custodiat corda vestra & sensꝰ vestros, per Christum Iesum.

Euangelium. Ioannis. i.

Ioan. 5. ET hoc est testimonium Ioannis, quando miserant Iudæi ab Hierosolymis sacerdo- Ioan. 3. tes & Leuitas, vt interrogarẽt eum: Tu quis es? Et confessus est & non negauit. Et confessus est, inquiens: Non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Helias es Deu. 18 tu? Et dicit: Non sum. Es tu Propheta ille? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es: vt responsum demꝰ ijs qui miserunt nos?

Quid

Quid dicis de teipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias propheta. Et qui missi fuerant, erāt ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas si non es Christus, neque Helias, neque propheta ille? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo aqua, sed in medio vestrum stat, quem vos nescitis, ipse est, qui quum me sequeretur, antecessit me: cuius ego non sum dignꝰ, vt soluam corrigiā calciamenti. Hęc in Bethabara facta sunt, trans Iordanem, vbi Ioānes baptizabat. Mat. 3. Mar. 1. Luce. 3. Esa. 40 Act. 19

In die Natalis Domini

Collecta.

OMnipotens Deꝰ, qui vnigenitū filiū tuum nobis dedisti, vt nostram naturam assumeret, hodiernaq; die de pura virgine nasceretur, pręsta quæsumus, vt nos regenerati, filijq; tui per adoptionem & gratiam facti, tuo sancto spiritu quotidie renouemur, per eundem Dominum nostrum. &c.

Epistola. ad Hebręos. cap. i.

DEus olim multifariam, multisq; modis loquutus patribus per prophetas, extremis diebus hisce loquutus est nobis per filium, quem constituit hęredem omnium, per quem etiam secula condidit: qui cùm sit splē- Mat. 28

dor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ illius, moderetuŕq; omnia verbo potentiæ ſuę: per ſemetipſum purgatione facta peccatorũ noſtrorum, conſedit in dextera maieſtatis in excelſis: tanto pręſtantior factus angelis, quãto excellentius prę illis ſortitus eſt nomen.

Pſal. 2. Act. 13. Nam cui dixit vnquam angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rurſum:

2. Re. 7 Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius. Rurſum autem, cùm inducit primogenitũ in or-

Pſal. 96. bem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes

Pſal. 103 angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui creat angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam. Ad filium autem: Thronus

Pſal. 44 tuus Deus in ſeculum ſeculi, virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, vltra conſortes

Pſal. 101 tuos. Et, Tu in initio Domine terræ fundamenta ieciſti, & opera manuum tuarum ſunt

Eſa. 51. cæli: ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes vt veſtimentum veteraſcent: ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.

Euangelium. Ioannis i.

IN principio erat ſermo, & ſermo erat

Gen. 1. apud Deum, & Deus erat ille ſermo.

Pro. 8. Hic erat in principio apud Deum. Omnia

per

per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam nō apprehenderunt. Erat homo missus à Deo, cui nomen Ioannes. Hic venit ad testificandum, vt testaretur de luce, vt oēs crederent per ipsum. Non erat ille lux illa, sed missus erat vt testaretur de luce. Erat lux illa, lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in mundum. In mundo erat, & mūdus per ipsum factus est, & mundus eum nō cognouit. In sua venit, & sui eū nō receperūt. Quotquot autē receperūt eū, dedit eis vt liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credidissēt in nomē ipsius: Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et sermo ille caro factus est, & habitauit in nobis: & conspeximus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à patre: plenus gratia & veritate.

Ioan. 4.
Ioan. 8.
Ioan. 5.
Esa. 56.
Ose. 1.
Rom. 8
Gal. 4.

Die Sancti Stephani.

Collecta.

DA nobis Domine quęsumus, vt exemplo sctī Stephani discamus inimicos diligere, qui pro persecutoribus suis precatus est, Dominum nostrum filium tuum, qui tecum viuit & regnat, &c. Amen.

Tunc sequetur collecta de Natiuitate Domini, quæ quotidie dicetur vsq; ad Circumcisionem.

Epistola. Act. vij.

Mat.16 STephanus plenus Spiritu sancto, intentis in cœlum oculis, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hoīs stantem à dextris Dei. Exclamantes aūt voce magna, cōtinuerunt aures suas, & impetū fecerunt vnanimiter in eum. Et eiectum eum è ciuitate, lapidabant: ac testes deposuerunt vestimenta
Act. 22 ad pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, ac di-
Luc.23. centem: Domine Iesu, suscipe spiritum meū. Positis autem genib⁹, clamauit voce magna. Domine, ne statuas illis peccatū hoc. Et cùm hæc dixisset, obdormiuit.

Euangelium. Matth. xxiij.

ECce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas: & illorū aliquot occidetis, crucifigetis q;, & illorum nonnullos flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super
Gen.4. terram, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sangui-
2.Pa.24 nem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istā.

Hieru-

Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis? Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, haud quaquam me videbitis posthac, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Luc. 13. 4. Esa. 1. Psal. 68 Psa. 117

Die Ioannis Euangelistæ.

Collecta.

Ecclesiam tuã quęsum⁹ Domine benignus illustra, vt beati Ioannis Apostoli tui & Euangelistæ illumina ta doctrinis, ad dona perueniat sempiterna. Per Dominum nostrum Iesum Christũ. &c. Amen.

Epistola. i. Ioan. i.

QVod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrę contrectauerunt de sermone vitæ, & vita manifestata est, vidimus: etiã testamur, & annunciamus vobis vitam ęternã, quæ erat apud patrem, & manifestata est nobis. Quod vidim⁹ & audiuim⁹ annuntiamus uobis, vt & vos societatẽ habeatis nobiscum Ioan. 1. 2. Pet. 1. Ioa. 20. Ioa. 17.

nobiſcum,& ſocietas noſtra ſit cum Patre,&
Ioan.16 filio eius Ieſu Chriſto. Et hæc ſcribimus uo-
2.Ioa.1. bis,vt gaudium veſtrum ſit plenum. Et hæc
eſt promiſſio quam audiuimus ex ipſo, &
annunciamus vobis, quòd Deus lux eſt, &
tenebræ in eo non ſunt vllę.

Euangelium. Ioan.xxi.

DIxit autem Ieſus Petro: Sequere me. Cõ-
uerſus Petrus,videt illum Diſcipulum,
quem diligebat Ieſus,ſequentem,& qui recu-
Ioan.12 buit in cœna ſuper pectus eius,& dixit: Do-
mine, quis eſt ille qui tradit te? Hunc ergo
cùm vidiſſet Petrus,dicit Ieſu: Domine, hic
autem quid? Dicit ei Ieſus: Si eum velim ma-
nere donec veniam,quid ad te? Tu me ſeque-
re. Exijt ergo ſermo iſte inter fratres, quòd
diſcipulus ille non moreretur. Et non dixe-
rat ei Ieſus, Non moritur: ſed, Si eum velim
manere donec veniam,quid ad te? Hic eſt di-
ſcipul⁹ ille, qui teſtimonium perhibet de his,
& ſcripſit hęc. Et ſcimus quòd verum eſt te-
Ioa.20. ſtimonium eius. Sunt autem & alia multa,
quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula,
nec ipſe,opinor,mundus caperet eos qui ſcri-
berentur libros.

Die Innocentium.

Collecta.

Deus

DEus, cui⁹ hodierna die prẽconiũ Innocẽtes Martyres nõ loquendo, ſed moriẽdo confeſsi ſunt, oĩa in nobis vitiorũ mala morti dede, vt fidem tuã quam lingua noſtra loquitur, etiam vita moribus fateatur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. &c. Amen.

Epiſtola. Apocal. xiiij.

ET vidi, & ecce Agnus ſtans ſuper montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarũ, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocẽ audiui citharœdorum citharizantium citharis ſuis. Et cantant quaſi canticum nouũ ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores: & nemo poterat diſcere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, & in ore eorum non eſt inuentus dolus. Sine macula enim ſunt ante thronum Dei. 1. Cor. 6 Apo. 5.

Enangelium. Matth. ij.

ANgelus Domini apparet in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & aſſume puerum

ac Matrem illius, & fuge in Aegyptum, & esto illic donec dixero tibi: Futurū est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Ille verò excitatus, assumpsit puerum & matrem eius noctu, & secessit in Aegyptum, & fuit illic vsque ad obitum Herodis: vt perficeretur quod dictum fuerat à Domino per
Nu. 24 Prophetam. dicentem: Ex Aegypto uocaui
Oze. 11 filium meum. Tum Herodes vbi vidit sibi illusum fuisse à Magis, indignatus est vehemēter: ac missis satellitibus, interfecit omnes pueros qui erant Bethleem, & in omnibus finibus Bethleemiticis, quotquot essent bimuli & minores, iuxta tempus quod exactè cognouerat ex Magis. Tunc perfectū est, quod dictum fuerat ab Hieremia propheta, cum
Iere. 31. ait: Vox in Rhama audita est, lamētatio, ploratus & fletus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere, propterea quod non sint.

Dominica post festum Nati.

Collecta.

Omnipotens Deus qui vnigenitum. &c.

vt supra in festo Natiuitatis.

Epistola. Galatas. iiij.

DIco autem, quam diu hęres puer est, nihil differt à seruo, quū sit Dominꝰ omnium,

nium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt vſque ad tempus quod pater præſcripſerit. Sic & nos, cùm eſſemus pueri, ſub elementis mundi eramus, in ſeruitutem adacti. At vbi venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus. Mat. 5. Quoniam autem eſtis filij, emiſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba pater. Rom. 8 Itaque iam non es ſeruus, ſed filius, quòd ſi filius, & hæres Dei per Chriſtum.

Euangelium. Matthæi .i.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Luce. 3. Abraham genuit Gen. 21 Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram è Thamar. Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem 1. re. 16. genuit Dauid Regem. Dauid autẽ rex genuit 2. re. 12. Solomonem ex ea quæ fuerat vxor Vriæ.

3.Re.11 Solomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Hoziam.
2.Pa.26 Hozias autẽ genuit Ionatham. Ionathas autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezeciam. Ezecias autem genuit Manasse. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit
4.re.23. Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam
Agge.1 & fratres eius, in exilio Babylonico. Porrò
1.Esd.3 post exilium Babylonicum, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autẽ genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achin. Achin autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph maritum Mariæ: ex qua genitus fuit Iesus, ille qui dicitur Christus. Vniuersę itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vsque ad demigrationem Babylonicam, generationes quatuordecim, & à demigratione Babylonica, vsque ad Christum, generationes quatuordecim. Iesu verò Christi natiuitas sic habet. Cum mater enim eius Maria desponsa esset
Luce.1.

Ioseph

Ioſeph, priùs quam congreſsi fuiſſent, deprehenſa eſt grauida è Spiritu ſancto. Porrò Ioſeph maritus eius, quoniam erat iuſtus, & nolebat illam infamare, uoluit clanculum ab ea diuertere. Hęc autem cum is in animo verſaret, ecce Angelus Domini in ſomnis viſus eſt, dicēs illi: Ioſeph fili Dauid, ne metuas adiungere tibi Mariam vxorem tuã: nam quod in illa conceptum eſt, à Spiritu ſancto profectum eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum: is enim ſaluum faciet popu- Phil. 2.
lum ſuum à peccatis ſuis. Porrò totum hoc Act. 4.
factum eſt, vt perficeretur id, quod dictum fuerat à Domino per Prophetam, ita loquentem: Ecce virgo erit prægnans, & pariet filium, & vocabũt nomẽ eius Emmanuel: quod ſi quis interpretetur, ſonat: Nobiſcum Deus. Excitatus autem Ioſeph à ſomno, fecit vt iniunxerat ſibi Angelus Domini: & adiunxit ſibi vxorem ſuam, & non cognouit eam, donec peperiſſet filium ſuum primogenitum, & appellauit nomen eius Ieſum. Luc. 2.

Die Circumciſionis.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui vnigenitum filium tuum carnis circumciſionem pati, & Legi ſubditum eſſe voluiſti,

propter hominem, da corda noſtra, vera & ſpirituali circumciſiõe ita diſcindi, vt mactatis mundanis & carnalibus concupiſcentijs, obediamus per omnia diuinæ voluntati tuę. Per eumdem Dominum noſtrum.

Epiſtola. Rom. iiij.

Pſal. 31. BEatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Beatificatio igitur hęc, in circumciſionem tantum, an & in præputium deuenit? Dicimus enim quòd imputata fuerit Abrahę fides ad iuſtitiam. Quomodo ergo imputata eſt? quũ eſſet in circũciſione, an quũ Gen. 15 eſſet in præputio? Non in circumciſione, ſed in pręputio. Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculũ iuſtitiæ fidei, quæ fuerat in pręputio, vt eſſet pater omnium credentium per præputium, vt imputaretur & illis iuſtitia, & pater circumciſionis ijs qui non ſolùm genus ducerent à circumciſis, verum etiam ingrederentur veſtigijs fidei, quę fuit in præputio patris noſtri Abrahæ. Nõ enim per legem promiſſio contigit Abrahę, aut ſemini eius, illum Cala. 1. hęredem fore mundi, ſed per iuſtitiã fidei. Etenim ſi ij qui ad legẽ pertinẽt, hęredes ſunt, inanis facta eſt fides, et irrita facta eſt promiſſio.

Euangelium. Lucæ. ij.

ET factũ eſt vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælũ, & homines paſtores loquebãtur inter

inter ſeſe: Tranſeamus iam Bethleem vſque, & videamus hoc quod audiuimus acciditſſe, quod Dominus aperuit nobis. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepi. Quum vidiſſent autem, diuulgauerunt de verbo quod dictum erat ipſis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Porrò Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes ac laudantes Deũ ſuper omnibus quę audierãt, & viderant, ita vt dictum fuerat ipſis. Et poſt quam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomẽ eius Ieſus, quod vocatum erat ab Angelo, prius quam in vtero conciperetur. Gen. 17. Luce. 1.

Si fuerit Dominica inter feſtum Epiphaniæ. & Circumciſionis, tum recitabitur ipſa Collecta, Epiſtola & Euangelium, quæ dicebantur in die Circumciſionis.

Die Circumciſionis.

Collecta.

DEus, qui vnigenitum tuum gentibus ſtella duce reuelaſti, concede propitius, vt qui te iam ex fide cognouimus, tua glorioſa Deitate poſt hanc vitam perfruamur, Per Chriſtum Do.

Epiſtola

Epistola. Ephe.iij.

Act.21. HVius rei gratiâ ego Paulus vinctus sum Christi Iesu pro vobis gentibus. Siquidem audistis dispensationem gratię Dei, quæ
Gala.1. data est mihi in vos, quod secundum reuelationem notum mihi fecit mysterium, quemadmodum antè scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi, quod in alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, quemadmodū nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis per spiritum, vt sint Gentes cohęredes & eiusdem corporis, consortesq; promissionis in Christo, per Euangelium, cuius factus sum minister, secundum donum gratię Dei, quod datum est mihi secundum efficaci-
1.Co.15 am potentiæ illius. Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hęc, vt inter Gentes euangelizem imperuestigabiles diuitias Christi, & in lucem proferam omnibus quæ
Colo.2 sit communio mysterij, quod erat absconditum à seculis in Deo, qui vniuersa condidit per Iesum Christum, vt nota fiat nunc principatibus ac potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, vehementer varia sapientia Dei, secundum prędinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro, per quē habemus audaciam & aditum cum fiducia,

quæ

quæ est per fidem illius.

Euangelium. Matthæi .ij.

CVm autem natus esset Iesus in Bethleem ciuitate Iudęæ, temporibus Herodis regis, ecce Magi ab oriente accesserunt Hierosolyma, dicentes: Vbi est ille, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim illius stellam in Oriente, & accessimus vt adoremus eum. Auditis autem his Herodes rex, turbatus est, & tota Hierosolymorum vrbs cum illo: & conuocatis omnibus Pontificibus & Scribis populi, percontatus est eos, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudęæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Mich.5. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquàm minima es inter principes Iuda: Ex te enim mihi proditurus est dux, qui gubernaturus est populum meum Israel. Tum Herodes clàm accersitis Magis, accuratè perquisiuit ab illis, quo tempore stella apparuisset. Et iussis ire in Bethleem, dixit: Profecti illuc, accuratè inquirite de puero: vbi verò inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniam, & adorem illum. At illi audito Rege, profecti sunt: Et ecce stella, quam viderant in Oriente, præcedebat illos, donec progressa staret supra locum, in quo erat puer. Cùm autem vidissent stellam, gauisi sunt gaudio magno valde, Et

ingressi domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & prostrati adorauerunt illum: & apertis thesauris suis, obtulerunt illi munera, aurum, & thus, & myrrham: & oraculo admoniti in somnis, ne reuerterentur ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Dominica. i. post Epiphaniam.

Collecta.

Ota quęsumus Domine supplicantis populi, cœlesti pietate prosequere, ut ea quę agenda sunt, uideant, & ad implenda quæ viderint, tua gratia ac virtue commoueantur.

Epistola. Rom. xij.

OBsecro igitur vos, fratres, per miserationes Dei, ut præbeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Et ne accommodetis vos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis vestrę, vt probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonū est acceptumq; & perfectum. Dico enim per gratiam, quę data est mihi, cuilibet uersanti inter uos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quàm oportet de se sentire: sed ita sentiat, vt modestus sit & sobrius, vt cuique Deus

Phi. 4.

Eccl. 3.

us partitus est mensuram fidei. Quemadmodum enim in vno corpore multa membra habem⁹, membra verò nō omnia eundē habent actum, sic multi unum corp⁹ sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra. 1.cor.12 Eph.4.

Enangelium. Lucæ.ij.

ET ibant parentes eius quotannis Hierosolymā, in die festo Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymā secundum consuetudinem diei festi: consummatisq; diebus cum redirent illi, remansit puer Iesus Hierosolymis, & non cognouerunt parentes eius. Cęterùm rati illum esse in comitatu, uenerunt itinere diei, & requirebant eum inter cognatos & inter notos. Et cum non inuenissent eum, reuersi sunt Hierosolymam, quærentes eum. Et accidit post triduum, inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis eius: & viso eo, admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, cur feciſti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quęrebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod quęrebatis me? an nescitis quod in his quę Patris mei sunt, oportet me esse? Et illi nō intellexerunt sermonem, quem loquutus est ipsis. Exo.23 Leu.23.

Et descendit cum eis, venitq; Nazareth, erátque subditus illis. Mater autem eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum atq; homines.

Dominica secunda.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrestria moderaris, supplicationes nostras clemẽter exaudi, & pacem tuam, nostris concede temporibus. Per Christum. &c.

Epistola. ad Rom. xij.

HAbentes dona iuxta gratiam datam nobis uaria: siue prophetiam iuxta portionem fidei, siue ministerium in administratione, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione, qui impertit in simplicitate, qui præest in diligentia, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sit non simulata: sitis odio prosequentes quod malum est, adhærentes ei quod bonum est, per fraternam charitatem, ad mutuò uos diligendos propensi, honore alius alium præuenientes, studio non pigri, spiritu feruentes, tempori seruientes, spe gaudentes, in afflictione pacientes, precationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes,

1.Co.14
1.Pet.1.
Acto.2.
Eccl.32.
Deu.15.
Am.5.
Pet.2.2.
Eccl.31.

nicantes, hoſpitalitatem ſectantes. Bene lo- Heb.13.
quamini de ijs qui vos inſectantur: bene lo-
quamini, inquam, & ne malè precemini. Gau
dete cum gaudentibus, & flete cum flentibus:
eodem animo alij in alios affecti, non arro-
ganter de vobiſipſis ſentientes, ſed humilib?
vos accommodantes.

Euangelium. Ioannis.ij.

ET die tertia nuptiæ fiebant in Cana Ga-
lileæ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt
autem & Ieſus, ac diſcipuli eius ad nuptias.
Et vbi defeciſſet vinum, dicit Mater Ieſu ad
eum: Vinum nõ habent. Dicit ei Ieſus: Quid Luce.2.
mihi tecum eſt mulier? nondum venit hora
mea. Dicit mater eius miniſtris: Quodcunq;
dixerit uobis, facite. Erant autem ibi lapideæ
hydriæ ſex, poſitę ſecundum purificationem
Iudęorum, capientes ſingulæ metretas binas
aut ternas. Dicit ei Ieſus: Implete hydrias a-
qua: Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.
Et dicit eis: Infundite nunc, & ferte architri-
clino: & tulerunt. Poſtquàm autem guſtaſſet
architriclinus aquam in vinum verſam, neq;
ſciret vnde eſſet, ſed miniſtri ſciebant, qui hau-
ſerant aquã, vocat ſponſum, & dicit ei: Om-
nis homo primo loco bonum vinum ponit,
& cum inebritati fuerint, tunc id quod de-
terius eſt. Tu ſeruaſti bonum uinum uſque ad

hoc tempus. Hoc edidit initio signorũ Ieſus in Cana Galileæ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.

Dominica tertia.

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice, atq; ad protegendum nos, dexteram tuę maieſtatis extende. Per Do. &c.

Epiſtola. Rom. xij.

NE ſitis arrogãtes apud uoſmetipſos, neque cuipiam malum pro malo reddatis.
Pro. 20 Prouidè parantes honeſta in conſpectu omnium hominũ, ſi fieri poteſt, quantum in uo-
1. Per. 3. bis eſt, cum omnibus hominibus in pace uiuentes, non uoſmetipſos ulciſcentes dilecti,
Heb. 12 quin potius date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus. Si igitur eſurit inimicus tuus, paſce illũ:
Deu. 32. ſi ſitit, da illi potum. Hoc enim ſi feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illi9. Ne uincaris à malo, imò uince in bono malum.
Pro. 23

Euangelium. Matth. viij.

CVm deſcendiſſet autem de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus accedens, adorauit eum, dicens: Domine, ſi uelis, potes me mundare. Protenſaq; manu tetigit
Mar. 1. Luc. 5.

tetigit illũ Ieſus, dicens: Volo: mundus eſto. Ac protinus mundata fuit illius lepra. Et dicit illi Ieſus: Vide ne cui dixeris: ſed abi, oſtẽde teipſum ſacerdoti, & offer munus, quod iuſſit offerri Moſes in teſtimonium ipſis. Leu. 14

Porrò cum ingreſſus fuiſſet Ieſus Capernaũ, adijt eum Centurio, obſecrans eum, & dicẽs: Domine, famulus meus decumbit domi paralyticus, ac grauiter diſcruciatur. Et dicit illi Ieſus: Ego cùm venero, medebor illi. Et reſpondens Centurio, dixit: Domine, non ſum idoneus vt tectum meum ſubeas: imò tantũ dic verbum, & ſanabitur famulus meus. Nã ego ſum homo alterius poteſtati ſubditus, & habeo ſub me milites, & dico huic: vade, & vadit. & alteri: veni, & venit. & ſeruo meo: fac hoc, & facit. Hæc autem cum audiſſet Ieſus, admiratus eſt, & ait ſequentibus ſe: Amẽ dico vobis, ne in Iſrael quidem tantum fidei reperi. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venturi ſunt, & accumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in regno cælorum: filij verò regni eijcientur in tenebras extremas: illic erit ploratus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi. Et ſanatus eſt famulus eius in hora illa. Luce. 7 Ioan. 4 Pſa. 106 Eſa. 13. Luc. 13.

Domi-

Dominica quarta post Epiphaniam.

Collecta.

Eus, qui nos in tantis periculis constitutos propter humanã fragilitatẽ scis non posse subsistere, Da nobis salutem mentis & corporis, vt ea quę pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus. Per Dominum. &c.

Epistola. Rom. xiij.

Sap. 6. 1. Pet. 2.

OMnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo: quæ uerò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibiipsis iudicium accipient. Nam principes non terrori sunt bene agentibus, sed male. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est facito, & feres laudem ab illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time. Nõ enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui, quod malum est fecerit. Quapropter oportet esse subditos, nõ solùm propter iram, uerumetiam propter conscientiam. Propter hoc enim & vectigalia soluitis: siquidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite igitur omnibus

Mat. 17 & 22.

omnibus, quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Euangelium. Matth. viij.

ET quũ esset ingressus nauim, sequuti sunt eum discipuli sui: & ecce motus magnus factus est in mari, adeò vt nauis operiretur à fluctibus, ipse verò dormiebat. Et accedentes discipuli, excitauerunt illum, dicentes: Domine, serua nos: perimus. Et dicit illis: Quid timidi estis exigua prędíti fiducia? Tũc excitatus, increpauit ventos, & mare, & facta est tranquillitas magna. Homines verò admirabantur, dicentes: Qualis est hic, quia venti quoque & mare obediunt illi? Et cùm venisset ad vlteriorem ripã, in regionẽ Gergesenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, è monumentis egressi: erant autem sæui supra modum, adeo ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce vociferabantur, dicentes: Quid rei nobis tecum est Iesu fili Dei? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus? Erat autem procul ab illis grex porcorum multorum pascens. Dæmones verò rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos, permitte nobis vt demigremus in gregem porcorum. Et ait illis: abite. Illi verò egressi, abierunt in gregem porcorũ. Et ecce ferebatur totus grex porcorum per

Mat. 4. Luc. 8. Iob. 26. Psa. 106 Esa. 31. Mar. 5. Luc. 8. 2. Cor. 6 Mar. 5.

pręceps in mare, & perierunt in aquis. Porrò qui pascebant, aufugerũt: & digressi in ciuitatem, renunciauerunt omnia, & quid acciderat dæmoniacis. Et ecce tota ciuitas exiuit in occursum Iesu, Et cum vidissent illum, rogabant, vt decederet è finibus ipsorum.

Dominica quinta.

Collecta.

FAmiliam tuam quęsumus Domine continua pietate custodi, vt quæ sola fiducia gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Christum Dominum nrm̃.

Epistola. Colos. iij.

Eph. 4. SItis igitur induti tanquam electi Dei, sancti ac dilecti, uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes vos inuicem, & condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelam: quemadmodum & Chri-
Mat. 22 stus condonauit uobis, ita & uos. Super omnia autem hæc, charitatem, quæ est vinculum perfectionis, & pax Dei, palmas ferat in cordibus vestris, in quam & vocati estis in vno
Eph. 5. corpore: & grati sitis. Sermo Christi inhabitet in uobis opulentè, cum omni sapientia. Docetéq; & commonete uos inuicem, cantionibus

onibus & laudibus, & cantilenis ſpiritualib⁹ cum gratia canẽtes in corde veſtro Domino. Et quicquid egeritis ſermone aut facto, omnia in nomine Domini Ieſu facite, gratias agentes Deo & Patri per illum. 1.cor.10

Euangelium. Matth. xiij.

ASſimilatum eſt regnum cælorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo: ſed dormientibus hominibus, venit illius inimicus, & ſeminauit zizania inter triticum, abiitq;. Cùm autem germinaſſet herba: & fructũ feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamiliâs, dixerunt illi: Domine, nónne bonum ſemen ſeminaras in tuo agro? Vnde igitur habet zizania? Ille verò dixit illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt illi: Vis igitur abeamus & colligamus ea? At ille dixit. Non, ne dum colligitis zizania, eradicetis ſimul cum illis & triticum: ſinite pariter creſcere utraq; uſq; ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & colligate ea in faſciculos ad comburendum ea: triticum uerò congregate, in horreum meum. Mar.4.

Dominica Septuageſimæ.

Collecta.

Reces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi, vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria, per misericordiam tuã liberemur. Per Dominum nostrum. &c.

Epistola. i. Cor. ix.

AN nescitis, quòd qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit præmium? Sic currite, vt comprehendatis. Omnis autem qui certat, per omnia temperãs est: illi quidem igitur, vt perituram coronam accipiant, nos autem vt æternam. Ego itaque sic curro, vt non in incertum: sic pugilem ago, non velut aërem feriens: uerùm subiicio corpus meũ, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cùm aliis prædicarim, ipse reprobus efficiar.

Euangelium. Matth. xx.

SImile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo statim diluculo, ad conducendos operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs in singulos dies denario, misit eos in vineam suam. Et egressus circiter horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & illis dixit: Ite & vos in vineam, & quodcunque iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Rursum

ſum autem exijt circiter ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios ſtantes ocioſos, ac dicit illis: Cur hic ſtatis totum diem ocioſi? Dicũt ei: quia nemo nos conduxit. Dicit illis. Abite & vos in vineam, & quicquid fuerit iuſtum, accipietis. Cum autem veſpera facta eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à poſtremis vſque ad primos. Et cùm ueniſſent qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſinguli denarium. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: & acceperunt ipſi quoque ſinguli denarium. Et cum accepiſſent, murmurabãt aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi unam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtum. At ille reſpondens vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nónne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum eſt, & abi. Volo autem huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. An non licet mihi quod uo lo facere in rebus meis? An oculus tuus malus eſt, quod ego bonus ſim? Sic nouiſſimi e- runt primi, & primi nouiſsimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Ro. 11. Mat. 19 Mar. 10 Luce. 13

Dominica Sexageſimæ.

Collecta.

DEꝰ, qui conſpicis quod ex nulla noſtra actione confidimus, Concede propitius, vt contra aduerſa omnia, protectionis tuæ benignitate muniamur. Per Ieſum Chriſtū Dominū nrm̄.

Epiſtola. ij. Cor. xi.

LIbenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ſapientes. Suffertis enim ſi quis vos in ſeruitutem adigit, ſi quis exedit, ſi quis accipit, ſi quis attollit ſeſe, ſi quis vos in faciem cędit: iuxta contumeliam loquor: perinde
Act. 22. quaſi non infirmi fuerimus. Imò in quocunq;
Phili. 3. audet aliquis, (per inſipientiam loquor) audeo & ego. Hebræi ſunt, ſum & ego: Iſraëlitę ſunt, ſum & ego: ſemen Abrahę ſunt, ſum & ego: miniſtri Chriſti ſunt, (deſipiens loquor) excellentius ſum ego: in laboribus copioſius, in uerberibus ſupra modum, in carceribus abundantius, in mortibꝰ frequenter: à Iudæis quinquies quadragenas plagas, una minus, accepi. Ter uirgis cæſus fui: ſemel fui
Act. 16 lapidatus: ter naufragium feci: noctem ac di-
Act. 14 em in profundo egi: in itineribus ſępe, in pe-
Act. 27 riculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis

in

in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres: in labore & molestia, in uigilijs sępe, in fame & siti, in ieiunijs sępe, in frigore & nuditate: prętereaquę extrinsecus accidunt, incũbens mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offẽditur, & ego non uror? Si gloriari oporteat, de his quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est laudandus in secula, nouit quòd non mentiar. 2. Cor. 8 & 12. Gala. 1.

Euangelium. Lucæ. viij.

CVm autem turba plurima conueniret, & è singulis ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. Exijt qui semen tem faciebat, ad seminandum semen suum: & inter seminandum, aliud cecidit circa viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit super petrã, & enatum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul enatæ, spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & enatum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, dicentes: quæ esset ista parabola. At ille dixit. Mat. 13. Mar. 4.

Vobis

Esa.6. Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: cæteris autem per parabolas ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola. Semen est sermo Dei: qui autem iuxta viam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit sermonem de corde eorum, ne credentes seruẽtur. Nam qui super petram, ñ sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt sermonem, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitijs ac voluptibus uitæ euntes, suffocantur, nèc referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde honesto ac bono, audientes sermonem, retinent, & fructum afferunt per patientiam.

Dominica quinquagesimæ.

Collecta.

DEus, qui nos per Apostolum tuum docuisti, quod omnia opera nostra sine charitate nihil sint, da nobis spiritum tuũ sanctum, qui diffundat in cordibus nostris excellens donum charitatis, uerum uinculum pacis & omnium uir tutum, & sine qua omnis viuens coram te est mortuus, hoc largire: per Dominum no. &c.

Epistola.

Epistola. i. Cor. xiii.

SI linguis hominum loquar & angelorum, charitatē autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et si habeam prophetiam, & noueri m mysteria omnia, omnemq; scientiam: & si habeam omnem fidem, adeo vt montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si insumam in alimoniam omnes facultates meas, & si tradam corpus meum vt comburar, charitatem autem non habeā, nihil vtilitatis capio. Charitas paciens est, benigna est: charitas non inuidet: charitas non est procax: non inflatur, non est fastidiosa, nō quærit quę sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit: siue prophetię abolebuntur, siue linguę cessabunt, siue scientia abolebitur. Ex parte enim cognoscim⁹, & ex parte prophetamus. Ast vbi uenerit quod perfectū est, tunc quod ex parte est, abolebitur. Cùm essem puer, vt puer loquebar, vt puer sentiebam, vt puer cogitabam: at vbi factus sum uir, aboleui puerilia. Cernimus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam, quem-

Matt. 7

Luc. 17.

Phil. 2.

quemadmodum & cognitus ſum. Nunc autẽ manet fides, ſpes, charitas, tria hæc, ſed maxima in his Charitas.

Euangelium. Luce xviij.

Mat.20 Mar.10 ASſumpſit autem Ieſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymã, & conſummabũtur omnia quę ſcripta ſunt per prophetas, de Filio hominis. Tradetur enim Luc. 23. gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, ac die tertia reſurget. Et Luc.2. ipſi nihil horum intellexerunt. Et erat verbũ iſtud abſconditum ab eis, nec intelligebant quæ dicebantur. Accidit autem cùm appropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat iuxta viam, mendicans: & cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit, dicens: Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipſe uerò multò magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei. Stans autem Ieſus, iuſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut uiſum recipiam. Et Ieſus dixit ei: Recipito viſum: Fides tua te ſaluum reddidit. Et confeſtim uiſum recepit, ac ſequebatur illum glo-

glorificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Feria.iiii. post quinquages.

Collecta.

Mnipotens æterne Deus, qui nihil odisti eorum quę fecisti, & remittis peccata omnibus pœnitentib⁹: crea in nobis cor contritum, ut dignè peccata nostra defleamus, & agnoscamus iniquitates nostras, & à te Deo omnis misericordiæ, perfectam peccatorum remissionem consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. &c.

Lectio Prophetiæ. Ioelis.ij.

COnuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda uestra, & non uestimenta uestra, & conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & reliquat post se benedictionē? Sacrificium & libamē Domino Deo uestro. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, uocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes: congre-

Psal.85
Ionæ.4

 gate

gate paruulos, & fugẽtes hubera. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Inter veſtibulum & altare plorabũt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, & dominentur eis nationes, Quare dicunt in populis: Vbi eſt Deus eorum?

Euangelium. Matthei. vi.

Eſa. 58. Matt. 9. CVm ieiunaueritis, ne ſitis ueluti hypocritæ tetrici. Obſcurant enim facies ſuas, quò perſpicuum ſit hominibus ipſos ieiunare. Amen dico vobis, habent mercedem ſuam. Tu uerò cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne conſpicuum ſit hominibus te ieiunare, ſed patri tuo, qui eſt in occulto: & Pater tuus qui videt in abdito, reddet tibi in propatulo. Ne reponatis uobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, ac furantur: Sed recondite uobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non perfodiunt, neque furantur. Nam ubi fuerit theſaurus veſter, illic erit & cor ueſtrum.

Luc. 12. Eccl. 29. Iere. 17. Pro. 23.

Do-

Dominica.i.quadrageſimæ.

Collecti.

DOmine Ieſu Chriſte, qui noſtra cauſa quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunaſti, da nobis huiuſmodi vti abſtinentia, vt caro noſtra ſpiritui ſit ſubiecta, & mandatis tuis ſemper obſequamur in vera Iuſticia & ſanctitate, ad gloriam & honorem nominis tui: Qui uiuis & regnas. &c.

Epiſtola. ij. Cor. vi.

QVin & adiuuantes obſecramus, ne in uacuum graciam Dei receperitis. Dicit enim: In tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis ſuccurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies ſalutis. Ne quam uſquam demus offenſionem, ne reprehendatur miniſterium, ſed in omnibus commendemus noſipſos vt Dei miniſtri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in neceſſitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in puritate, in ſcientia, in animi lenitate, in benignitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ſimulata, in ſermone veritatis, in potentia Dei, per arma iuſtitiæ dextra ac ſiniſtra, per gloriam & ignominiã, per conuitia & laudes: quaſi impoſtores,

Eſa. 49. 2. cor. 4. 1. Cor. 3

ſtores, & tamen ueraces: quaſi ignoti, & tamẽ noti: quaſi morientes, & ecce uiuimus: quaſi correpti, & non occiſi: quaſi dolentes, ſemper tamen gaudentes: quaſi pauperes, multos tamen ditantes: vt nihil habẽtes, & tamẽ omnia poſſidentes.

Euangelium. Matth. iiij.

Mar. 1. Luc. 4. TVnc Ieſus ſubductus ſuit in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunaſſet dies quadraginta, ac noctes quadraginta, tandem eſurijt. Et cùm accęſſiſſet ad eũ ille qui tentat, dixit: Si filius es Dei, iube vt lapides hi panes fiant. At illi reſpondens, Deut. 8 Sap. 16. dixit: Scriptum eſt: Non ſolo pane uicturus eſt homo, ſed omni uerbo quod egreditur per os Dei. Tunc aſſumit illum diabolus in Sanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi, dicitq; illi: Si filius es Dei, Pſal. 90 prȩcipita te deorſum. Nam ſcriptum eſt: Angelis ſuis mandutur9 eſt de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedẽ tuum. Dixit illi Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt. Deu. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum. Rurſum aſſumit illum diabolus in montem excelſum ualde, & commonſtrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum, & dicit illi: Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraueris me. Tunc dicit illi Ieſus: Abi Satana. ſcriptum eſt enim,

enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Tunc omittit illū diabol⁹. Et ecce angeli accedebāt, ac ministrabant ei. Deut. 6 1. Re. 7

Dominica Secunda quadr.

Collecta.

DEus qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusq; custodi, vt ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mūdemur in mente. Per. &c.

Epistola. 1. Thessa. iiij.

QVod superest igitur fratres, rogamus uos, & adhortamur per Dominum Iesum, quemadmodum accepistis à nobis, quo modo oporteat uos uersari, & placere Deo, ut abundetis magis. Nostis enim quę precepta dederimus uobis per Dominum Iesum. Hęc enim est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis à scortatione, & sciat vnusquisque uestrum suū uas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & gentes, quæ non nouerunt Deum. Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum, propterea quòd vltor est Dominus de omnibus his, quemadmodum & antè diximus uobis, ac testati sumus. Non enim uocauit nos Deus immundiciæ causa, sed ad sanctificationem. Phil. 1. Ro. 12. Ephe. 5 Tob. 6. 1. cor. 7 Rom. 1

Proinde

Proinde qui reñcit, non reñcit hominem, ſed Deũ, qui dedit Spiritũ ſuum ſanctum in uos.

Enangelium. Matth. xv.

Mar. 7. ET digreſſus illinc Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananęa, quæ à finibus illis uenerat, clamabat ad illum dicens: Miſerere mei Domine fili Dauid: Filia mea miſerè à dæmonio agitatur. Ille verò non reſpondit ei quicquam. Et accedentes diſcipuli eius, rogabant illum dicentes: Amitte illam, nam clamat poſt nos. At ille reſpondens Luc. 19. dixit: Non ſum miſſus, niſi ad oues perditas domus Iſraëliticæ. Illa verò uenit & adorauit eum, dicens: Domine, ſuccurre mihi. At ille reſpondens, dixit: Non eſt honeſtum ſumere panem filiorum, & obiĳcere catellis. Hæc autem reſpondit: Certè Domine: etenim catelli edũt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus, dixit illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata fuit filia eius ex eo tempore.

Dominica tertia quadra.

Collecta.

QVæſumus omnipotens Deus, uota humilium reſpice, atq; ad defenſionẽ noſtram dexteram tuæ Maieſtatis extẽde. Per Ieſũ Chriſtũ Dñm nrm̃.

Epiſtola.

SItis igitur imitatores Dei, tanquam filij dilecti,& ambuletis in dilectione,quemadmodum & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & uictimam Deo,in odorem bonæ fragrantiæ. Mar.5 Ioan.13 Gala.3.

Cæterum scortatio, & omnis immunditia, aut auaritia,ne nominetur quidem inter uos, sicut decet sanctos:aut obscœnitas,aut stultiloquium,aut urbanitas quę non conueniunt, sed magis gratiarum actio. Nam hoc scitis, quòd omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui est simulachrorum cultor,nõ habet hæreditatem in regno Christi & Dei.Ne quisquam uos decipiat inanibus sermonibus. Propter hæc enim uenire solet ira Dei in filios inobedientes. Ne sitis igitur consortes illorum.Eratis quondam tenebrę,nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate,nam fructus spiritus situs est in omni bonitate, & iustitia & ueritate, probantes quid sit acceptum Domino.Et ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius etiam arguite.Nam quę secretò fiunt ab istis, turpe est uel dicere. Sed omnia dum produntur à luce, manifesta fiunt. Nam quicquid manifestum redditur, lumen est.Quapropter dicit: Expergiscere qui dormis, Exo.23 Eccl.23 1.Co.6 Colo.3. 1.Tes.5 Esa.60.

mis, & ſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.

Euangelium. Lucæ. xi.

Mar. 9. & 12. ET erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: cumq; eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ Mar. 3. Quidam autem ex eis dixerunt: Per Beelzebul principem dæmoniorum, eiicit dæmonia. Et alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo. Ipſe autem cùm ſciret cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum aduerſus ſeipſum diuiſum, deſolatur, & domus ſuper domum cadit. Quòd ſi Satanas quoque aduerſus ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis per Beelzebul eiicere me dæmonia. Quòd ſi ego Beelzebul præſidio eiicio dæmonia, filij veſtri cuius præſidio eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. Porrò ſi digito Dei eiicio dæmonia, profectò Mat. 12 peruenit ad uos regnum Dei. Cùm fortis ar- Colo. 2 matus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſsidet. Vbi uerò fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius aufert, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca aridentia, quærens requiem, & non inueniens.

ueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm uenerit, ínuenit eam scōpis mundatam atq; ornatam: tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nocentiores ipso, & ingressi, habitant ibi: & fiunt extrema hominis illius, peiora primis. Factum est autē cùm hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum.

Dominica quarta quadr.

Collecta.

COncede quęsum⁹ omnipotens De⁹ ut qui ex merito nostræ prauitatis affligimuur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Galat. iiij.

DIcite mihi qui sub lege uultis esse, legem ipsam non auditis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habebat, vnum ex ancilla, & unum ex libera. Verùm is qui ex ancilla natus est, secundum carnem natus est: qui verò ex libera, per repromissionem: quę per allegoriam dicuntur. Nam hæc sunt duo testamenta, vnum quidē à monte Sina, Gen. 16 Gen. 17 Rom. 6

in ſeruitutem generans, qui eſt Agar: nam Agar, Sina mons eſt in Arabia, confinis eſt autem ei, quę nunc uocatur Hieruſalem: ſeruit autem cum filiis ſuis. At quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt: quę eſt mater omnium noſtrum. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis quę non paris: erumpe & clama quæ nõ parturis: quoniam multi liberi deſertæ, magis quam eius quę habet uirum. Nos autem fratres ſecundum Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quemadmodũ tunc is qui ſecũdum carnem natus erat, perſequebatur eum, qui natus erat ſecundum ſpiritum, ita & nunc. At quid dicit ſcriptura? Eiſce ancillam & filium illius: non enim hęres erit filius ancillæ, cum filio liberæ. Itaque fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberę.

Apo.21
Eſa.54
Gen.27
Gen.21

Euangelium. Ioannis.vi.

POſt hæc abiit Ieſus trans mare Galileæ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur eũ turba multa, quia videbant eius ſigna quę faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subiit autem in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Inſtabat autem paſcha, dies feſtus Iudęorum. Cum ſuſtuliſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quod multa turba veniret ad ſe, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt edant iſti? Hoc autem dicebat, tentans eũ: ipſe

Mat.14
Mar.6.
Lucę.9.
Exo.22

ipse enim sciebat quid esset facturus. Rñdit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque pusillum quippiam accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ipsius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hęc quid sunt inter tam multos? Dixit autem Iesus: Facite ut homines discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero ferme quinquies mille. Accepit autem panes Iesus: cumq; gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli uerò discumbentib⁹. Similiter & ex piscibus, quantum uolebant. Vt autem impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite quę superfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cóphinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant. Illi ergo homines cū uidissent, quod Iesus fecerat signū, dicebant: Hic est verè Propheta ille, qui uenturus est in mundum. 4.Re.4 Luc.7. Ioan.4

Dominica quinta.

Collecta.

POpulum tuum quæsumus domine benigne respice, ut tua magna bonitate dirigatur, & corpore ac animo conseruetur. Per Dominum. &c.

Epistola. Heb. ix.

Heb. 5. 6. & 8. Esa. 33. 2. Co. 5. 1. Ioa. 1. 1. Pet. 1. Leui. 9. & 16. Eph. 1. Colo. 1. 2. Co. 5. Rom. 6 1 Pet. 4

CHristus accedens Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum non manu factum, hoc est, non huius structuræ, neque per sanguinem hircorum ac vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in Sancta, æterna redẽptione reperta. Nam si sanguis taurorum & hircorum & cinis iuuencę, aspergẽs inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem, quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientiam uestram à mortuarijs operibus, ad seruiendum Deo uiuenti? Et ob id Noui testamẽti cõciliator est, ut morte intercedente, ad redemptionem earum præuaricationũ, quæ fuerant sub priori Testamento, ij qui uocati sunt, promissionem accipiant æternæ hæreditatis.

Euangelium. Ioannis. viij.

QVis ex vobis arguit me de peccato? Porrò si ueritatem dico, quare vos nõ creditis mihi. Qui ex Deo est, verba Dei audit

Ioa. 10.

dit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quòd Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes? Respondit Iesus: Ego dęmonium non habeo, sed cohonesto Patrẽ meum, & uos ignominia affecistis me. Ego autem non quęro gloriam meam: est qui quęrat & iudicet. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Dixerunt ergo illi Iudæi: Nunc cognouimꝰ, quòd dæmonium habes. Abraham mortuus est & prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et prophetæ mortui sunt. Quem teipsum tu facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis, Deum uestrum esse, & tamen non cognouistis eum, ego autem noui eum. Et si dixero quòd non nouerim eum, ero similis uestri, mendax. Sed noui eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meum, & uidit, atque gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti? Dixit eis Iesus:

1. Ioa. 4
Ioan. 4
Ioan. 10
Ioan. 5.
Matt. 9 & 21.
Mar. 3.
Ioan. 7.
Ioan. 5.
Gen. 17 & 22.
Heb. 11

Amen

Amen amen dico vobis, antequam Abraham nasceretur, ego sum. Tollebant ergo lapides, ut iácerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit è templo.

Dominica proxima Paschæ.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorẽ nostrum carnem assumere, & crucem subire fecisti, concede propitius, ut & patientię ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Christum dominum nostrum.

Epistola. Philip. ij.

2.Pet.2. IS enim affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqua
Psal. 8. lis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui
Heb. 5. sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus vt homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usque
Mat.28 ad mortem, mortem autem crucis. Quapro-
Heb. 2. pter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est su-
Esa.45. pra omne nomen, ut in nomine Iesu omne
Dan.7 genu se flectat, cęlestium, ac terrestriũ & infer-
Ro.14. norum

norum : omnisq; lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei Patris.

Euangelium. Matt.xxvi.

ET factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quòd post biduum pascha fit, & Filius hominis traditur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotũ, & Scribæ, & Seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiapha: & consiliũ inierunt, ut Iesum dolo caperent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne tumultus fiat in populo. Cùm autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti precioſi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ad quid perditio hæc? Potuit enim istud vnguentum venundari magno, & dari pauperibus. Eo autem cognito, Iesus ait illis: Quid molesti estis mulieri? Opus enim bonum operata est erga me. Nam semper pauperes habetis uobiscum, me uerò non semper habetis. Quòd enim hæc unguentum hoc misit super corpus meum, ad sepeliendũ me fecit. Amen dico uobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mun-

Mar.14 Luc.22. Ioan.18

Ioan.12

Deut.15

do, hoc quoq; quod hæc fecit, narrabitur in memoriam ipsi⁹. Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis tradam illum? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et ex eo tempore quærebat oportunitatem, ut eum traderet. Cęterum primo die azymorũ accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes ei: Vbi uis paremus tibi ad edendum pascha? At ille dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim, & edentibus illis dixit:
Ioan.15 Amen dico uobis, quòd unus uestrũ me proditurus est. Et mœsti redditi uehementer, cœperũt singuli dicere ei: Num ego sum Domine? At ipse respondens, ait: Qui intinxit mecum manum in catîno, hic me proditur⁹ est. Filius quidẽ hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem filius hominis proditur: bonum erat ei, si natus nõ fuisset homo ille. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Num ego sum rabbi?
Mar.14 Luc.22. Ait illi: Tu dixisti. Vescentibus autem eis, accepit Iesus panem, & cum egisset gratias, fregit,

fregit, deditq; discipulis, & ait: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Et accepto poculo, gratijs actis, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Dico autem uobis, Non bibam posthac ex hoc fructu uitis, usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno Patris mei. Et cùm hymnũ ceciniſſent, exierunt in montem oliuarum. Tũc dicit illis Iesus: Omnes uos offendiculũ patiemini mea causa in nocte hac. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galileam. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes offendiculum passi fuerint tua causa, ego tamen nunquam offendiculum patiar. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quòd in hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. Tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quę dicitur Gethsemane, & dixit discipulis: Sedete hic, donec uadam & orem illic. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit affici dolore & mœstitudine. Tunc ait illis Iesus: Mœsta est anima mea usque ad

1. Co. 11
Mar. 14
Luc. 21.
Ioan. 18
Zac. 13.
Acto. 1.
Ioan. 12

mortem: manete hic, & uigilate mecum. Et
Luc.22. progressus pusillum, prócidit in faciem suam orans, ac dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: ueruntamẽ non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et uenit ad discipulos, & reperit eos dormientes, & dicit Petro: Adeo non potuistis una hora uigilare mecum? Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, at caro
Gala.5. infirma. Rursus altera uice abijt, & orauit, dicens: Pater mi, si non potest hoc poculum transire à me, nisi bibam illud, fiat uoluntas tua. Et uenit, & reperit eos iterum dormientes. Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertiò, eundem sermonem dicens. Tunc uenit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam & requiescite. Ecce appropinquat hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquauit, qui me tradit.
Mar.14 Luc.22. Ioan.18 Adhuc eo loquente, ecce Iudas, unus de numero duodecim, uenit, & cum eo turba multa, cum gladijs & fustibus, missi à principib? sacerdotum & senioribus populi. Is uerò qui prodebat eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque

illi

illi Iesus: Amice, ad quid ades? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & ceperunt eum. Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suũ, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locũ suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quòd non possum nunc rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quòd sic oportet fieri? In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronẽ existis cum gladijs & fustibus ad comprehendendum me: quotidie apud uos sedebam docens in templo, & non me cepistis. Hoc autem totum factum est, ut complerentur scripturę prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. At illi comprehensum Iesum, duxerũt ad Caiapham principem sacerdotum, ubi Scribæ & seniores conuenerant. Petrus autem sequebatur eum procul, usque ad atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut uideret finem. Principes autem sacerdotum & Seniores, & totum consilium quęrebant falsum testimonium contra Iesum, vt morti eum traderent: & non inueniebant.

Gen. 9. Apo. 13 Eze. 11. Luc. 24 Esa. 35. Psal. 21. Act. 6.

Nouissimè autem uenerunt duo falsi testes,
Ioan. 1. & dixerunt: Hic dixit, Possum destruere tem
plum Dei, & in triduo ædificare illud. Et sur
gens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil re-
spondes? Cur isti aduersum te testimonium
Luc. 22. dicunt? Iesus autem tacebat. Et respondens
princeps sacerdotum, ait illi: Adiuro te per
Deum uiuentẽ, ut dicas nobis, an tu sis Chri-
stus filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti.
Ioan. 6. Veruntamen dico uobis, amodo videbitis fi-
Acto. 1. lium hominis sedentem à dextris uirtutis, &
uenientem in nubibus cæli. Tunc princeps
sacerdotum disscidit uestimenta sua, dicens:
Proloquutus est blasphemiam: quid insuper
egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphe-
miam eius: quid vobis videtur? At illi respon
Leei. 24 dentes, dixeruut: Reus est mortis. Tunc ex-
Esa. 50. puerunt in faciem eius, & colaphis eum cæci-
Ioan. 18 derunt. Alij autem palmas in faciem eius de-
derunt, dicentes: Vaticinare nobis Christe,
quis est qui te percussit? Petrus uerò sede-
bat foris in atrio, & accessit ad eũ una ancil-
lula, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras.
At ille negauit coram omnibus, dicens:
Nescio quid dicas. Cùm autem exisset in
vestibulum, vidit eum altera ancilla, & ait
his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Naza-
reno. Et iterum negauit cum iureiurando:

Non

Non noui hominem. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua te manifeſtum facit. Tunc cœpit execrari & iurare, quòd non noſſet hominem: & continuò gallus cantauit. Et recordatus eſt Petrus uerbi Ieſu, qui dixerat ei: Prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, fleuit amarè.

Mane autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi aduerſus Ieſum, ut eum morti traderent. Et uinctum eum, adduxerunt & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Tunc uidens Iudas, qui eum prodiderat, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argẽteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicẽs: Peccaui, prodens ſanguinẽ innoxium. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu uideris. Et proiectis argẽteis in templo, receſſit, & abiẽs laqueo ſe ſuſpẽdit. Principes autem ſacerdotũ acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in córbonam, quia precium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerũt ex illis agrũ figuli in ſepulturã peregrinorũ: quapropter uocatus eſt ager ille, Ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem:

Pſal. 2. Acto. 3. 2. re. 37 Acto. 1.

Iere.32. Zac.11. tem: Et acceperunt triginta argenteos precium æstimati, quem æstimatum emerunt à filijs Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Iesus autem stetit ante Præsidem, & interrogauit eum Præses, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respõdit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quàm multa aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum uerbum, ita ut miraretur præses uehementer. In festo autem consueuerat præses turbæ dimitere unum uinctum quem uoluissent. Habebat autem tunc uinctũ insignem, qui dicebatur Barabbas: congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Vtrum uultis dimittam uobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd propter inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi cum iusto illo: multa enim passa sum hodie in somnis propter eũ. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt turbis, ut peterẽt Barabbam, Iesum verò perderent. Respondens autẽ præses, ait illis: Vtrum uultis uobis è duobus dimittam? At illi dixerunt: Barabbam. Dixit illis Pilatus: Quid igitur faciam Iesu, qui dicitur Christ9?

Mar.15. Luc.23. Ioa.18. Esa.53.

Dicunt

Dicunt ei omnes: Crucifigatur. Præſes autẽ ait: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes; crucifigatur. Videns autem Pilatus quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua, abluit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti, uos uideritis. Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Tunc dimiſit illis Barabbam, Ieſum autem flagellatũ tradidit ut crucifigeretur. Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem: & cùm exuiſſent eum, circumdederunt ei chlamydem coccinam, & coronam de ſpinis contextã, impoſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dexterã eius, & genu flexo ante eũ, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et cùm expuiſſent in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et poſtquam illuſiſſent ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & abduxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc adegerunt ut tolleret crucem eius. Et uenerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt, Caluarię locus. Et dederunt ei acetum bibere, cum felle mixtum:

Mat.27 & quum gustasset, noluit bibere. Postquã au
Mar.17 tem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimen-
Ioan.19 ta eius, sortem mittentes: ut impleretur quod
Psal.21. dictum est per prophetã: Diuiserunt sibi ue-
stimenta mea, & super vestimentum meum
miserũt sortẽ. Et sedentes, seruabant eum ibi.
Luc.25. Et imposuerant super caput eius causam ip-
sius scriptam: Hic est Iesus rex Iudæorum.
Esa.53. Tunc crucifiguntur cũ eo duo latrones, unus
à dextris, & alter à sinistris. Prætereuntes au-
tem, conuitia iaciebant in eum, mouentes capi
ta sua, & dicentes: Tu ille qui destruebas tem-
plũ, & in triduo ædificabas, serua temetipsũ:
si filius Dei es, descende de cruce. Similiter &
principes sacerdotum illudentes, cum Scribis
& Senioribus, dicebant: Alios seruauit, seip-
Sap.2. sum non potest seruare. Si rex Israël est, descẽ-
Psal.21. dat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in
38 et 69 Deo, liberet eum nunc, si uult eũ. Dixit enim,
Filius Dei sum. Idipsum autem & latrones
qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.
A sexta autem hora, tenebræ factę sunt super
uniuersam terram, usque ad horam nonam:
Et circa horam nonam, clamauit Iesus uoce
Psal.21. magna, dicens: Eli, eli, lamasabachthani: hoc
est, Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me?
Quidam autem illic stantium cum audissent,
dicebant: Heliam vocat iste. Et continuò

currens

currens unus ex eis, cum acceptam ſpongiam impleſſet aceto, impoſuit arundini, dabátque ei vt biberet. Cæteri uerò dicebant: Sine, videamus an ueniat Helias liberaturus eum. Ieſus autem cum iterum clamaſſet uoce magna, emiſit Spiritum. Et eccè velum Templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque ad imum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt: & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt: & egreſsi è monumentis, poſt reſurrexionem eius, uenerũt in Sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio uerò & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, uiſo terræ motu, & his quę facta fuerant, timuerunt ualdè, dicentes: Verè filius Dei erat iſte. Erant autem ibi mulieres multæ è longinquo ſpectantes, quę ſequutę fuerant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Ioſe mater, & mater filiorum Zebedęi. Mar. 15 Ioan. 19

Feria Secunda ante Paſcha.

Lectio Eſaiæ propheræ. cap. lxiij.

QVis eſt iſte qui uenit de Edom, tinctis ueſtibus de Boſra: iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?

Apo.19 Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Tórcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt uir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumẽta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meę venit. Circumſpexi & non erat auxiliator: quæſiui & non fuit qui adiuuaret. Et ſaluauit mihi brachiũ meũ, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram uirtutem eorum. Miſerationum domini recordabor, laudem domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſraël, quæ largitus eſt eis, ſecundum indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Et dixit: Veruntamen populus meus eſt filij non negantes: & factus eſt eis ſaluator. In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos: in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cũctis diebus ſeculi. Ipſi autem ad iracundiam pro-

prouocauerunt, & afflixerunt ſpiritum ſancti eius, & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos. Et recordatus eſt dierum ſeculi Moyſi & populi ſui. Vbi eſt qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui? Exo.14
Vbi eſt qui poſuit in medio eius ſpiritū ſancti ſui? Qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio maieſtatis ſuę: qui ſcidit aquas ante eos, ut faceret ſibi nomen ſempiternum: qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem. Quaſi animal in campo deſcendens, ſpiritus Domini ductor eius fuit: ſic adduxiſtis populum tuū, ut faceres tibi nomen gloriæ. Attende de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & ſolio gloriæ tuæ. Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo uiſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? Deu.26
Super me continuerunt ſe. Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos: Tu Domine pater noſter, redemptor noſter: à ſeculo nomen tuum. Quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis, induraſti cor noſtrum, ne timeremus te? Conuertere propter ſeruos tuos, tribus hæreditatis tuæ. Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctū tuum: hoſtes noſtri conculcauerunt ſanctificationem tuam. Facti ſumus quaſi in principio, cum non dominareris noſtri, neque in-

uocaretur nomen tuum ſuper nos.

Euangelium. Mar.xiiij.

Mat.26 Luc.22. Ioan.11 ERat autem paſcha,& azymorum dies futuri poſt biduum. Et quærebant ſummi ſacerdotes & ſcribæ,quomodo eum per dolum comprehenſum occiderẽt. Dicebant autem: Non in die feſto,ne tumultus fiat populi. Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simônis leproſi, accumbente eo, uenit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi piſticę præcioſæ: & comminuto alabaſtro,effudit illi in caput. Erant autem quidam qui indignarẽtur apud ſeſe, ac dicerent: Ad quid perditio hæc vnguenti? nam poterat hoc uendi pluris quàm trecentis denarijs,ac dari pauperibus. Et infremuerunt aduerſus illam. At Ieſus dixit:Sinite illam,, cur illi moleſti eſtis? bonum opus operata eſt erga me. Semper enim pauperes habetis uobiſcum, & quandocunque uolueritis, poteſtis illis bene facere:me uerò non ſemper habetis. Quod potuit,hæc fecit. Prẽuenit ut ungeret meum corpus ad ſepulturam. Amen dico uobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in totum mundum, etiam hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriam ipſius. Et Iudas Iſcariotes, unus è duodecim, abijt ad ſummos ſacerdotes, vt proderet eum illis. Quo audito, illi gauiſi

ſunt

sunt,& polliciti sunt ei pecuniã se daturos. Et quærebat quomodo opportune illum traderet. Ac primo die azymorum, cùm pascha immolarent, dicunt illi discipuli sui: Vbi uis ut abeamus & paremus, vt edas pascha? Et emittit duos è discipulis suis, & dicit illis: Ite in ciuitatem, & occurret uobis homo hydriam fictilem aquæ plenam baiulans, sequimini illum: & quocunq; ingressus fuerit, dicite patrifamilias: Magister dicit, Vbi est diuersorium, ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ille uobis ostendet triclinium magnum, stratum, paratum: illic parate nobis. Et exierunt discipuli eius, & uenerunt in ciuitatem, & repererunt quemadmodum dixerat illis, parauerũtq; pascha. Et cùm uespera iam esset, uenit cũ duodecim. Et cùm accũberent ederentq;, dixit Iesus: Amen dico uobis, unus ex uobis proditurus est me, qui edit mecum. At illi cœperunt esse mœsti, ac dicere illi singulatim: Num ego? Et alius: Num ego? Ille uerò respondens, dixit illis: Vnus è duodecim, qui intingit mecum in cátinum. Filius quidẽ hominis uadit, sicut scriptum est de illo; sed væ homini illi, per quem filius hominis proditur. Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille. Et edentibus illis, sumpto Iesus pane, cùm benedixisset

dixisset

Mat.26 Luc.22. 1.cor.11 dixisset, fregit,& dedit illis, ac dixit: Sumite, comedite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo, cum gratias egisset, dedit illis. Et biberunt ex eo omnes. Et dixit illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico uobis, posthac non bibam de fructu uitis, usque ad diem illum, cùm illud bibero nouũ in regno Dei. Et cùm hymnum dixissent, exierunt in montem oliuarum. Et dicit illis Iesus: Omnes offendiculum patiemini propter me in nocte hac, quia Zach. 13. scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Sed posteaquam resurrexero, Act. 1. præcedam uos in Galilæam. Petrus autem dicit illi: Etiam si omnes offendiculum passi fuerint, at non ego. Et dicit illi Iesus: Amen dico tibi, quòd hodie in nocte hac, priꝰ quàm bis gallus cecinerit, ter abnegabis me. At ille uehementius dicebat: Imò si me oportuerit commori tibi, non te abnegabo. Similiter autem Ioan.18 & omnes dicebant. Et veniunt in locum, cuius nomen Gethsemani. Et dicit discipulis suis: Sedete hic, donec digressus orauero. Et assumit Petrum & Iacobum, & Ioannem secum, cœpitq; expauescere & angi. Et dicit illis: Dolore afficitur anima mea, usq; ad mor- Ioan.12 tem: manete hic, & uigilate. Et progressus paululum, prostratus est in terram, & orauit

vt

vt si possibile esset, transiret à se hora,& dicebat: Abba pater, omnia possibilia sunt tibi, aufer poculum à me hoc: Veruntamen non quid ego velim, sed quid tu. Et venit,& offendit eos dormientes, dicitq; Petro: Simon, dormis? non potuisti unam horam vigilare? Vigilate & orate,ne ueniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus,ac caro infirma. Gal.5. Et rursum digressus orabat, & eundem dixit Mar.14 sermonem. Et reuersus,offendit illos rursum dormientes: erant enim oculi eorum grauati, neque sciebãt quid illi responderent. Et uenit tertiò, dicitq; illis: Dormite posthac & requiescite: Sufficit. Venit hora,ecce traditur filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce qui prodit me,appropinquat. Et continuò, adhuc eo loquente, Luc.22. accedit Iudas, qui erat unus è duodecim, & Ioan.18 cum illo turba multa cum gladijs & fustibus, à summis sacerdotibus & Scribis & senioribus. Dederat autem is qui prodebat eum, cõmune signum illis, dicens: Quemcunque osculatus fuero, is est, comprehendite illum, & abducite cautè. Et cùm uenisset, protinus accedit ad illum, dicitq; ei: Rabbi, rabbi. ac deosculatus est eum. Illi uerò iniecerũt in illum manus suas, & comprehenderũt eum. Vnus autem quispiam adstantium educto gladio,

percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit eius auriculam. Et respondens Iesus, dixit illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs ac fustibus, ad comprehendendum me: quotidie eram apud uos in templo docens, & non comprehendistis me: Sed ista
Esa.53. fiunt, vt impleantur scripturæ. Et relicto illo, omnes fugerunt. Et unus quispiam adolescentulus sequebatur illum circumamictus sindone super nudum, & comprehenderunt illū adolescentuli. Ille verò relicta sindone, nudus
Mat.26 effugit ab illis. Et abduxerunt Iesum ad summum
Luc.22. sacerdotem. Et conueniunt cū illo omnes
Ioan.18 summi sacerdotes & seniores, & Scribæ. Et Petrus eminus sequebatur illum, donec ueniset in atrium summi sacerdotis: & erat sedens unà cum ministris, & calefiebat ad lumen. Summi verò sacerdotes & totum concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, ut morti traderēt eum, & nō inueniebāt. Nam multi falsum testimonium dixerant aduersus illum, nec erāt satis idonea testimonia. Et quidam assurgebant & falsum testimonium ferebant aduersus illum, dicentes: Nos au-
Ioan.2. diuimus eum dicētem: Ego diruam Templū hoc quod est manibus factum, & tribus diebus, aliud sine manibus factum, extruam. Et ne sic quidē satis idonea erant testimonia illorum.

rũ. Et ſurgens ſummus ſacerdos in mediũ, interrogabat Ieſum dicens: Non reſpõdes quicquã? Quid iſti aduerſum te dicũt teſtimonia? At ille tacebat, neq; quicquam reſpondebat. Rurſum ſummus ſacerdos interrogauit, & dicit illi: Tu es ille Chriſtus filius benedicti? Ieſus autem dixit: Ego ſum: & uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cæli. Summus autem ſacerdos dilaceratis veſtibus ſuis, dixit: Quid præterea opus habemus teſtibus? Audiſtis blaſphemiam. Quid uobis uidetur? Illi uerò omnes condemnauerunt eum eſſe reũ mortis. Et cœperunt quidam conſpuere in eum, & obuelare faciem illius, & colaphis eum cędere, & dicere illi: Diuina. Ac miniſtri alapas illi impingebant. Et cùm eſſet Petrus in atrio inferius, uenit una ancillarum ſummi ſacerdotis: quumq; uidiſſet Petrum calefacientem ſe, intuita illum dicit. Et tu cum Nazareno Ieſu fuiſti? At ille negauit, dicens: Non noui: neque ſcio quid dicas. Et exiuit foras in veſtibulum, & gallus cecinit. Et ancilla cum uidiſſet eum, rurſum cœpit dicere his qui adſtabant: Hic ex illis eſt. At ille rurſum negabat. Ac paulo poſt, iterum qui adſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua conuenit. At ille

Mat. 26
Luc. 22.
Ioan. 6.
Mat. 26
3. Reg. 22.
Iob. 16.

cœpit execrari ac deierare: Non noui hominem iſtum, de quo dicitis. Et iterum gallus cecinit. Recordatusq; eſt Petrus uerbi quod
Mat.26 dixerat illi Ieſus: Prius quàm gallus cecinerit bis, abnegabis me ter. & cœpit flere.

Feria tertia ante Paſcha.

Lectio Eſaiæ Prophetæ. cap. l.

DOminus Deus aperuit mihi aurē, ego autem non contradico, retrorſum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Faciem meam non auerti ad increpantib⁹, & conſpuentib⁹ in me. Dominus deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus. Ideo poſui faciem meam ut petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. Iuxta eſt qui iuſtificat me. Quis cōtradicet mihi? ſtemus ſimul. Quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis eſt qui condemnet me? Ecce omnes quaſi ueſtimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex uobis timens Dominū, audiens uocem ſerui ſui, qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum. Ecce uos omnes accedentes ignem accincti flammis: ambulate in lumine ignis veſtri, & in flam-

flammis quas ſuccendiſtis: de manu mea factum eſt hoc uobis, in doloribus dormietis.

Euangelium. Mar.xxv.

ET confeſtim diluculo concilio inito, ſummi ſacerdotes cum Senioribus & Scribis ac toto conſeſſu, uinctum Ieſum abduxerunt, tradiderunt́q; Pilato. Et interrogauit eum Pilatus: Tu es ille rex Iudæorum? At ille reſpondens, dixit illi: Tu dicis. Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes de multis. Pilatus autem rurſus interrogauit illum, dicens: Non reſpondes quicquam? ecce quàm multa aduerſus te teſtantur. Ieſus autem deinde nihil reſpondit, adeò ut admiraretur Pilatus. Cæterùm in feſto dimittebat illis unum uinctum, quemcunq; poſtulaſſent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditionis autoribus fuerat uinctus, qui per ſeditionem cædem patrauerat. Et quum acclamaſſet turba, cœpit flagitare, ut faceret quemadmodum ſemper fecerat ipſis. Pilatus autem reſpondit eis, dicens: Vultis dimittam uobis regem illum Iudæorum? Sciebat enim, quòd propter inuidiam tradidiſſent illum ſummi ſacerdotes. Summi uerò ſacerdotes concitauerunt turbam, ut potiùs Barabbam dimitteret ipſis. Pilatus autem reſpondens rurſum, ait illis: Quid igitur uultis faciam ei, quem

Pſal.2. Mat.27 Luc.23. Ioan.18

dicitis regem Iudæorum? At illi rursum clamauerunt: Crucifige istum. Pilatus autem
Mat.27 dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi ve-
Luc.23. hementius clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus uerò uolens turbæ facere satis, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellatum,
Ioan.19 ut crucifigeretur. Milites autem abduxerunt eum intro in atrium, quod est Prætorium, & conuocant totam cohortem, & induunt illũ purpura, & circumponunt ei contextam spinis coronam, & cœperũt salutare illum: Aue rex Iudęorum. Et uerberabant illius caput arundine: & inspuebant in illum: & positis genibus adorabant illum. Et cum illusissent ei, exuerunt eum purpura, & induerunt illum uestibus proprijs: & educunt eum ut crucifigerent eum. Et coëgerunt prætereuntẽ quendam Simonem Sirenensem, qui ueniebat ex agro, patrẽ Alexãdri & Rufi, vt tolleret crucem eius. Et ducunt eum in Golgotha locum: quod est si interpreteris, Caluariæ locus. Et dederunt illi bibere myrrhatum uinum, sed
Psal.21. ille non sumpsit. Cumq; crucifixissent eum, partiti sunt uestimenta eius, mittentes sortem super illa, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eũ. Et erat inscriptio causę illius inscripta: Rex Iudęorum. Et cũ eo crucifigunt duos latrones: vnum à dextris,

tris,& alterum à ſiniſtris eius. Et impleta eſt ſcriptura quæ dicit:Et cum iniquis deputatꝰ Eſa.55.
eſt. Et qui prætereibant, conuitiabantur illi, mouentes capita ſua, ac dicentes: Vę qui demoliris templum,& in tribus diebus extruis: ſerua teipſum, & deſcende de cruce.Similiter & ſummi Sacerdotes illudentes inter ſeſe cū Scribis, dicebāt: Alios ſeruauit,ſeipſum ſeruare non poteſt. Chriſtus ille rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, ut uideamus & credamus. Et qui crucifixi fuerant cum illo, probra iaciebant in eum.Cum uerò facta eſſet hora ſexta, tenebræ ortæ ſunt ſuper totam terram, uſque ad horam nonam. Et hora nona clamauit Ieſus uoce magna,dicens:Eloi,eloi, Pſal.21.
lama ſabachthani? quod eſt, ſi quis interpretetur, Deus meus,Deus meus, cur me deſeruiſti? Et quidam adſtantium, cum audiſſent, dicebant: Ecce Heliam uocat. Accurrit autem quidam,& impleta ſpongia aceto,impoſitaq; arundini, porrexit illi potum, dicens: Sinite, uideamus an uenturus ſit Helias ad deponendum eum. Ieſus autem emiſſa uoce magna,expirauit. Et uelum Templi ſciſſum eſt in duas partes,à ſummo uſq; ad imum. Cum uidiſſet autem centurio,qui adſtabat ex aduerſo illi, quòd ſic emiſſo clamore expiraſſet, dixit: Vere homo hic, filius erat Dei,

Erant

Ioan.19 Erant autem & mulieres è longinquo ſpectãtes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi parui, & Ioſe mater, & Salome:
Luce.8 quæ etiam, cùm eſſet in Galilæa, ſequutæ fuerant illum, & miniſtrauerant ei: aliæq; complures, quæ ſimul aſcenderant cum eo Hieroſolymã. Et cùm iam ueniſſet ueſpera, quoniam erat paraſceue, quæ præcedit Sabbatum, uenit Ioſeph ortus ex ciuitate Arimathæa, honeſtus Senator, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & ſumpta audacia, ingreſſus eſt ad Pilatum, & petijt ab eo corpus Ieſu. Pilatus autem admiratus eſt, ſi iam mortuus eſſet: & accerſito ad ſe Centurione, interrogauit illum, an iamdudum mortuus fuiſſet. Et re cognita ex Centurione, donauit corpus ipſi Ioſeph. Et is mercatus ſíndonem, depoſitum eum, inuoluit ſíndoni, depoſuitq; in monumẽto, quod erat exciſum è petra. Et aduoluit la-
Mat.27 pidem ad oſtium monumenti. At Maria Magdalene, & Maria Ioſe, ſpectabant vbi poneretur.

Feria quarta ante paſccha.

Epiſtola. Heb.ix.

Gals.3. SIquidem vbi teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Nam teſtamentum in mortuis ratum eſt, quandoquidem nondum

nondum ualet, cùm uiuit teſtator. Vnde ne prius quidem illud abſque ſanguine dedicatum fuit. Cùm enim Moſes omne præceptũ iuxta legem expoſuiſſet omni populo, ſumpto ſanguine vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina & hyſſopo, ſimul & ipſum librum, & totum populum aſperſit, dicens: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit vobis Deus. Inſuper autem & tabernaculum, & omnia uaſa miniſterij, ſanguine cõſimiliter aſpergebat. Et omnia ferè ſecundum legem, ſanguine purificantur, & abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Itaque neceſſe eſt, ut exemplaria quidem eorum quæ ſunt in cælis, hiſce rebus purificentur. Cæterùm ipſa cœleſtia potioribus quàm hæ ſint, uictimis mundentur. Non enim in manufacta ſancta ingreſſus eſt Chriſtus, exemplaria uerorum, ſed in ipſum cælum, ut appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis, non ut ſepius offerat ſemetipſum, quemadmodũ pontifex ingreditur in Sancta ſingulis annis per ſanguinem alienum. Alioqui oportuiſſet illum ſępius paſſum fuiſſe, à condito mundo. Nunc autem ſemel, ſub conſummationem ſeculorum, ad profligationem peccati, per immolationem ſuiipſius apparuit. Et quatenus illud manet homines, ut ſemel moriãtur, poſt

Exo. 24. Mat. 26.

Exo. 16

hoc autem iudicium : ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, rursus absque peccato conspicietur iis, qui illum expectant in salutem.

Euangelium. Lucæ. xxij.

Exo. 12. Mat. 26 Mar. 14 Ioan. 7. & 11. Ioan 12 & 13.

INstabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha. Et quærebant principes sacerdotum & Scribæ, quomodo eum interficerent: timebant enim plebem. Intrauit autem Satanas in Iudam, cui cognomen erat Iscariotes, qui erat è numero duodecim. Abiitq; & loquutus est cum principibus sacerdotum, ac magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, ac pacti sunt pecuniam illi se daturos. Et ille spopondit: quærebatq; oportunitatem, ut traderet illũ illis sine turba. Vênit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari pascha. Et misit Petrum ac Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha vt edamus. At illi dixerunt ei: Vbi uis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeũntibus uobis in ciuitatem, occurret homo, uas aquæ testaceum portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias ædium: Dicit tibi magister: Vbi est diuersoriũ ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ipse ostendet uobis cœnaculũ magnum stratũ: ibi parate. Euntes autem inuene-

uenerunt ſicut dixerat illis. & parauerunt pascha. Et cùm iam eſſet tẽpeſtiuum, accubuit, ac duodecim apoſtoli cum eo. Et ait illis: Deſyderio deſyderaui hoc paſcha comedere uobiſcum ante quàm patiar. Dico enim uobis, poſthac non edã ultra ex eo, donec cõpleatur in regno Dei. Et accepto poculo, gratias egit ac dixit: Accipite hoc, & diuidite inter uos. Dico enim uobis, quod non bibam de fructũ uitis, donec regnum Dei ueniat. Et accepto pane, cùm gratias egiſſet, fregit ac dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur: hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum, poſtquam cœnauit, dicens: Hoc poculum nouũ teſtamentũ per ſanguinem meũ, qui pro uobis effunditur. Veruntamen ecce manus prodentis me, mecũ eſt in menſa. Et filius quidem hominis ſecũdum quod definitum eſt, uadit: ueruntamen uę homini illi, per quẽ proditur. Et ipſi cœperunt quærere inter ſeſe, quiſnam eſſet ex ipſis, qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorũ uideretur eſſe maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis: & qui poteſtatem habent ſuper eas, benefici uocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in uobis, fiat ſicut iunior: & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.

1.cor.5. Mat.26 Mar.14 1.cor.11 Ioan.6. Mat.20 Mar.9. & 10. Luce.9. 1.Pet.5.

Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? nónne qui accumbit? At ego in medio uestrum sum, ut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus. Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnū, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, ut cribraret sicut triticum: sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. At ille dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, non canet hodie gallus, prius quàm ter abneges te nosse me. Et dixit eis. Quando misi uos sine sacculo & pera & calciamentis, num quid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim uobis, quoniam adhuc quod scriptū est, oportet perfici in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat, ut erat solitus, in montem oliuarum:

Mat.10
Apoc.3
Mat.16
Mar.14
Ioan 13
Mat.10
Mar. 6.
Luce.9.
Esa.58.
Mat.26

sequuti

sequuti sunt autem illum & discipuli. Et cùm perueniſſet ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipſe auulſus eſt ab eis fermè ad iactum lapidis: poſitiſq; genibus orabat, dicens: Pater, ſi uis, transfer poculū hoc à me. Veruntamen, non mea uoluntas, ſed tua fiat. Apparuit autē ei angelus de cęlo, corroborans eum. Et correptus angore, prolixius orabat. Et erat ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis, decurrentes in terram. Et cùm ſurrexiſſet à deprecatione, ueniſſetq; ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormientes præ mœſtitudine. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite & orate, ne intretis in tentationem. Adhuc autē eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus è duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Ieſu, vt oſcularetur eum. Ieſus autem dixit illi: Iuda, oſculo filium hominis prodis? Videntes autem hi qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, percutiemúsne gladio? Et percuſsit unus ex illis ſeruum principis ſacerdotum, & amputauit auriculam eius dextram. Reſpondens autem Ieſus, ait: Sinite hucuſque. Et cū tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum. Dixit autem Ieſus ad eos qui uenerant ad ſe, principes ſacerdotum ac magiſtratus templi & ſeniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs

Ioan. 18
Mat. 6.
Ioan. 6.
Mat. 26.
Mar. 14.
Ioan. 18

ac fustib⁹, quum quotidie uobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora illa uestra, & potestas tenebrarum.
Ioan.18 Comprehensum autem eum duxerunt, & induxerunt in domum principis sacerdotum. Petrus uerò sequebatur eminus. Cùm autem
Mat.26 accendissent ignem in medio aulæ, atque unà
Mar.14 consedissent, sedit & Petrus inter illos. Quẽ cùm uidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, defixis in illum oculis, dixit: Et hic cũ illo erat. At ille abnegauit eum, dicens: Mulier, non noui illum. Et post pusillum, alius uidens eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus uerò ait: Homo, non sum. Et interuallo interiecto ferè horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicas. Et continuò adhuc illo loquente, cecinit gallus. Et conuersus Dominus, intuitus est Petrum. Et recordatus est Petrus sermonis Domini, quomodo dixerat ipsi:
Luc.22. Prius quàm gallus cecinerit, ter me negabis.
Mat.26 Et egressus foras Petrus fleuit amarè. Et uiri
Mar.14 qui tenebant Iesum, illudebant ei, cędentes: & cum circumtexissent eum, percutiebant faciem eius, & interrogauerunt eum, dicentes:
Esa.50. Vaticinare: quis est ille qui te percussit? Et alia multa conuiciantes dicebant in eum.

Atque

Atque ut illuxit, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Num tu es ille Christus? Dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis: quòd si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc tempore erit filius hominis sedens à dextris uirtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis me esse. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus ex ore ipsius.

Feria quinta ante pascha.

Epistol. i.Cor.xi.

ILlud tamen præcipiens, non laudo, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. Nam primum quidem cum conuenitis in Ecclesia, audio dissidia in uobis esse, & aliqua ex parte credo. Oportet enim & sectas in uobis esse, quò qui probati sunt, manifesti fiant inter uos. Igitur cum conuenitis in eundem locum, non licet dominicam cœnã edere, quòd unusquisq; propriã cœnam occupat in edendo. Et hic quidem esurit, ille uerò ebrius est. Num sanè domos non habetis ad edendũ & bibendum? An ecclesiam Dei contemnitis, & pude-

Mat.26. 1.Ioã.2.

pudefacitis eos qui non habent? Quid uobis
Mat.26 dicam? Laudabo uos? In hoc non laudo. Ego
Mar.14 enim accepi à Domino, quod & tradidi uo-
Luc.22. bis, quòd Dominus Iesus, in ea nocte qua tra
ditus est, accepit panem: & postquam gra-
tias egisset, fregit ac dixit: Accipite, edite:
Hoc meum est corpus, quod pro uobis fran-
gitur. hoc facite in mei commemorationem.
Ad eundem modū & poculum, peracta cœ-
na, dicens: Hoc poculum nouum testamen-
tum est in meo sanguine: hoc facite, quotiес-
cunq; biberitis, in mei commemorationem.
Quotiescunq; enim comederitis panē hunc,
1.Pet.2. & de poculo hoc biberitis, mortē Domini an
Act.1. nuncietis, donec uenerit. Itaque quisquis ede-
rit panē hunc, aut biberit de poculo Dñi hu-
ius indignè, reus erit corporis & sanguinis
2.cor.13 Domini. Probet autem homo seipsum, & sic
de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nā
qui edit & bibit indignè, iudicium sibi ipsi e-
dit & bibit, non dijudicans corpus Domini.
Propter hoc inter uos multi imbecilles &
Eccl.18 ualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos
dijudicassemus, haudquaquam iudicati fuis-
semus. At cùm iudicamur, à Domino corri-
3.Ioā.2. pimur, ne cum mundo condemnemur. Itaque
fratres mei, cùm conuenitis ad comedendū,
alius alium expectate. Quòd si quis esurit,

domi

domi edat, ne ad condemnationem conueniatis. Cętera uerò, cùm uenero, disponam.

Euangelium. Lucæ. xxiij.

ET surgens uniuersa multitudo eorum, duxit illum ad Pilatum. Cœperunt autẽ illum accusare, dicentes: Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantem tributa dare Cæsari, dicentem se Christum regẽ esse. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es ille rex Iudæorum? At ille respondens illi, ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotiũ & turbas: Nihil inuenio noxię in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum, docens per uniuersam Iudæam, exorsus à Galilæa, usque ad hunc locum. Pilatus autem audita mentione Galilęæ, interrogauit, num homo Galilæus esset. Et ut cognouit quod ad Herodis ditionẽ pertineret, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat per id tempus. Herodes autem, uiso Iesu, gauisus est ualde. Tenebatur enim multo iam tempore cupiditate uidendi illum, eo quòd audiret multa de eo, & sperabat se signum aliquod uisurum ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & Scribæ acriter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes

Mat. 27
Mar. 15
Ioa. 18.
Mar. 17
Mat. 4.
Lucę. 3.
Luc. 18.
Luc. 9.

rodes cum exercitibus ſuis : cumq; illuſiſſet indutum ueſte ſplendida, remiſit ad Pilatum.
Acto.4 Et facti ſunt amici inter ſeſe Pilatus & Herodes, in eodem die : nam antea ſimultas inter eos interceſſerat. Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus ac plebe, dixit ad illos : Obtuliſtis mihi hunc
Mat.27 Mar.15 Ioā.18. hominem, quaſi auertentem populum, & ecce, ego coram uobis interrogans, nullum crimen inuenio in homine iſto, ex his de quibus accuſatis eum : ſed ne Herodes quidem : nam remiſi uos ad illum, & ecce nihil dignū morte actum eſt ei. Caſtigatum ergo illum
Ioan.19 dimittam. Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto unum. Exclamauit autem ſimul uniuerſa turbā, dicens : Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam : qui erat propter ſeditionē quandam factam in ciuitate & homicidium, coniectus in carcerem. Iterum autem Pilatus loquutus eſt ad eos, uolens dimittere Ieſum. At illi clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad illos : Quid enim mali fecit hic? Nullum crimen capitale comperio in eo : caſtigatum ergo dimittam illum. At illi inſtabant uocibus magnis, poſtulantes ut crucifigeretur : & inualeſcebant uoces eorum, ac ſummorum ſa-
Acto.3. cerdotum. Et Pilatus adiudicauit, ut fieret quod

quod illi postulabant. Dimisit autem illis eum, qui propter seditionem & homicidium coniectus fuerat in carcerem, quem poposcerant, Iesum uerò tradidit arbitrio eorum. Et cùm abducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, uenientem è rure, & imposuerunt illi crucem, vt portaret post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi ac mulierum, quæ & plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super uobisipsis flete, & super filijs uestris: quoniam ecce uenient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles & uentres qui nõ genuerunt, & hubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos. Et collibus: Operite nos. Quia si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo facinorosi cum eo, ut interficerentur. Et postquam uenerunt in locum, qui uocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum, & facinorosos: unum à dextris, alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: Pater, remitte illis, nesciunt enim quid faciant. Diuidentes uerò uestimenta eius, miserunt sortem. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes:

Mat.27
Ioan.19
Zac.12
Iere.1.
Ose.10.
Apo.6.
Esa.53.
Act.7.
Psal.21.

Alios seruauit, seruet seipsum, si hic est ille
Mat.27 Christus, ille Dei electus. Illudebant autem ei
Mar.15 & milites accedentes, & acetum offerentes
ei, dicentesq; : Si tu es ille rex Iudæorum, sal-
Ioan.19 uum te fac. Erat autem & inscriptio scripta
super eum literis Græcis, & Latinis, & Hæ-
braicis: Hic est rex Iudæorum. Vnus autem
qui erāt suspensi facinorosorum, conuitia di-
cebat in eum, dicens: Si tu es Christus, serua
teipsum & nos. Respondens autem alter, in-
crepabat eum, dicens: Ne times quidem tu
Deum, quod in eadem damnatiõe es? & nos
quidem iustè, nam digna factis recipimus:
hic uerò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesũ:
Domine, memento mei, cum ueneris in re-
gnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico ti-
bi, hodie mecum eris in paradiso. Erat autem
ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt super
totam terram usque ad horam nonam, & ob-
scuratus est Sol, & uelum Templi scissum est
medium. Et cùm clamasset uoce magna Iesus,
Psal.30. ait: Pater, in manus tuas commendo Spiri-
Act.4. tum meum. Et hæc cum dixisset, expirauit.
Cùm uidisset autem Centurio, quod accidit,
glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo
iustus erat. Et omnes turbæ eorum qui simul
accesserant ad spectaculum illud, & uiderant
quę cõtingebant, percutiẽtes pectora sua, re-
uer-

uertebantur. Stabāt autem oēs noti eius pro-
eul, & mulieres quę sequutæ eum erant à Ga-
lilæa, hæc uidentes. Et ecce uir nomine Io- Ioan. 19
seph, Decurio, qui erat uir bonus ac iu-
stus, hic non consenserat consilio ac facto
eorum, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iu-
dæorum, qui expectabat & ipse regnū Dei:
hic accessit ad Pilatum, & postulauit corpus
Iesu, & depositum inuoluit sindone, & po-
suit illud in monumento, quod erat in lapide
excisum, in quo nondum quisquam positus
fuerat. Et dies erat parasceue, & Sabbatum
illuscebat. Subsequutæ autem mulieres, quæ Lucę. 8
cum eo uenerant de Galilæa, uiderunt monu-
mentum, & quemadmodum positum erat
corpus eius. Reuersę uerò, parauerunt aro-
mata & vnguenta, ac sabbato quidem quie-
uerunt secundum præceptum.

Die Parasceues.

Collectæ.

OMnipotens Deus, familiam tuam
quæsumꝰ benigne respice, pro qua
Dominus noster Iesus Christus nō
dubitauit tradi manibus nocen-
tum, & crucis subire tormentum: Qui tecum
uiuit & regnat cum sancto Spiritu, in secu-
cula se. &c.

Alia Collecta.

OMnipotens æterne Deus, cuius ſpiritu uniuerſum corpus eccleſiæ ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro uniuerſis ordinibus ſupplicantes, & prẽſta, ut ab omnib⁹ tibi digne & laudabiliter ſeruiatur. Per. d.n. Ieſũ.

MIſericors Deus, creator omnium hominum, qui nihil odiſti eorum quę condidiſti, neque uis mortem peccatoris, ſed ut magis conuertatur & viuat, miſerere Iudęorum, Turcarum, Infidelium & hęreticorum: auſer ab eis ignorantiam & duriciem cordis, & cõtemptũ uerbi tui, & reduc eos, miſericors domine, ad gregem tuum, ut ſeruentur inter reliquias ueri Iſraëlis, ut fiat unum ouile & vn⁹ paſtor Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui uiuit & regnat. &c.

Epiſtola. Heb. x.

Colo. 2 NAm lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum his hoſtiis, quas ſingulis annis eaſdẽ continẽter offerunt, nunquam poteſt accedentes perfectos reddere. Alioqui nõne deſiſſent offerri? Propterea quod nullam iam habuiſſent conſcientiam peccatorum, qui ſacrificaſſent, ac ſemel purgati eſſent. At qui in iſtis commemoratio fit peccatorum quotannis. Nõ enim Leui. 19 poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre pec-

peccata. Quapropter cùm ingressurus est mũdum, dicit: Sacrificium & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi, holocautomata & pro peccato non comprobasti. Tunc dixi: Ecce adsum. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Superius cùm dicit: Sacrificium & oblationem & holocautomata, & pro peccato noluisti, neq; comprobasti, quæ iuxta legem offeruntur, tunc dixit: Ecce adsum ut faciam Deus uoluntatem tuam: tollit prius, ut posterius statuat: per quam uoluntatem sanctificati sum⁹ per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Et omnis quidem sacerdos adsistit quotidie, sacra peragens, ac easdem sæpius offerens hostias quæ nunquam possint auferre peccata. Hic uerò una pro peccatis oblata uictima, perpetuò sedet ad dexteram Dei, id quod superest expectans, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Testificatur autem nobis & ipse Spiritus sanctus, nimirum quum prædixerit: Hoc est testamentum, quod condam erga illos, post dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in corde illorum, & in mentibus illorum inscribam eas, & peccatorum atq; iniquitatum illorum non re-

Psal. 39. Esa. 50. Psal. 1. Psal. 109 Iere. 31.

recordabor amplius. Porrò ubi horum est remissio, non est amplius oblatio pro peccato. Cum igitur fratres, habeamus libertatem adeundi in sancta per sanguinem Iesu, ea uia quam dedicauit nobis recentem ac uiuentem, per uelamentum, hoc est per carnem suam, cumq; habeamus sacerdotem magnum præfectum domui Dei, accedamus cum uero corde in certitudine fidei, aspersi cordibus, ac depulsa conscientia magna mala, & abluti corpore aqua pura, teneamus confessionem spei, non uacillantem: fidelis enim qui promisit: & consideremus nos inuicem, in hoc, ut prouocemus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est nonnullis, sed adhortentes inuicem, idq; hoc magis, quod uidetis appropinquantem diem.

Ioan.10 & 14. Rom.5 Heb.9. Exo.24 1.Pet.1. Ro.15.

Euangelium. Ioan.xviij.

HAec cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Nouerat autem & Iudas, qui prodebat eum, locum, quia frequenter Iesus cõuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à pontificibus & pharisæis ministros, uenit illuc cum laternis ac facibus & armis. Iesus itaq; sciens omnia

Mat.26 Mar.14 Luc.22.

quæ

quæ uentura erant ſuper ſe, proceſsit, ac dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ergo ei: Ieſum Nazarenū. Dicit ei Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum, cum ipſis. Vt ergo dixit eis, Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi uobis, quod ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Vt cōpleretur ſermo quem dixerat: Ex ijs quos dediſti mihi, non perdidi quenquam. Ioan.17

Simon ergo Petrus, cùm haberet gladiū, eduxit eum, & percuſsit pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dextram. Erat autem nomē ſeruo Malchus. Dicit ergo Ieſus Petro: Immitte gladium tuum in uaginam. An non bibā poculum quod dedit mihi Pater? Cohors igitur & tribunus ac miniſtri Iudæorum, Mat.26 Mar.14 Luc.22. comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum, & abduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Ioan.11 Erat autem Caiphas is, qui conſilium dederat Iudæis, quòd expediret unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium pontificis. Petr⁹

autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla oſtiaria: Num & tu ex diſcipulis es hominis iſti? Dicit ille: non ſum. Stabant autem ſerui & miniſtri, qui prunas congeſſerant, quia frigus erat, & calefaciebãt ſe. Erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciẽs ſe. Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ipſius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm loquutus ſum mundo. Ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Iudęi conueniunt, & in occulto loquutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid loquutus ſum ipſis: Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixiſſet: unus aſſiſtens miniſtrorum, dedit alapam Ieſu, dicens: Siccine reſpondes pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè loquutus ſum, teſtificare de malo: ſin bene, cur me cædis? Et miſit eum Annas uinctum ad Caipham pontificem. Stabat autem Simon Petrus & calefaciebat ſe. Dixerunt ergo ei: Num & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non ſum. Dicit ei unus ex ſeruis pontificis cognatus eius, cuius abſciderat Petrus auriculam: Nónne ego te uidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit

Ioan.7.
Iere.30.
Mat.26
Act.23.
Mar.14
Luc.22.

Petrus

Petrus. Et ſtatim gallus cecinit. Ducunt Ioan.13.
ergo Ieſum à Caipha in prætorium. Erat autem manè, & ipſi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed ut ederent paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic nocens, haudquaquam tibi tradidiſſemus eum. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum uos, & ſecundum legem ueſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam: ut ſermo Ieſu impleretur, quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Ieſum, & dixit ei: Tu es ille rex Iudæorum? Mar.14
Reſpondit Ieſus: A temetipſo tu hoc dicis, Luc.13.
an alij dixerunt tibi de me? Reſpondit Pilatus: Num ego Iudæus ſum? Gens tua & Pontifices, tradiderunt te mihi. Quid feciſti? Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum, meum non eſt hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quod rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc ueni in mundum, ut

testimonium feram ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Dicit ei Pilat⁹: Mat.27 Quid est Veritas? Et cùm hoc dixisset, iterū Mar. 15 prodijt ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam Luc.23. inuenio in eo causam. Est autem consuetudo uobis, ut unum dimittā uobis in Pascha: uultísne ergo dimittam uobis illum regem Iudęorum? Clamauerunt rursum omnes, dicētes: Non hūc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

Cap.19. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circumdederunt eum, ac dicebant: Aue rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis. Ecce adduco uobis eum foras, ut cognoscatis quod nullam in eo causam inuenio. Exiuit ergo Iesus foras, gestans spineam coronam, & purpureum pallium. Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo uidissent eum pontifices & ministri, clamabant, dicentes. Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos, & crucifigite, ego enim non inuenio in eo causam. Respon-
Leui.24 derunt ei Iudæi. Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia fi-
Ioan.3. lium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, Et ingressus

est

est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quòd potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datū esset è supernis. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi autem clamabant, dicētes: Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris. Quicumque se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum: sedítq; pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hæbraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschæ, hora fermè sexta, & dicit Iudęis: Ecce rex uester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur. Acceperunt autem Iesum, & abduxerunt, atque is baiulans crucem suam, exiuit in eum, qui dicitur Caluaria, locum, Hebraicè autem Golgatha, ubi crucifixerunt eū, & cum eo, alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pila-

Saph.6. Ioan.3. Rom.13 Act.17. Gen.47 Hose.1. Heb.13.

Mat.27 latus, & posuit super crucem. Erat autem scri-
Mar.15. ptum, Iesus Nazarenus rex Iudęorum. Hunc
Lucę.23 ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, & Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quod ille dixerit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cùm crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta per totum. Dixerunt ergo inter se: Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur, di-
Psal.21. cens: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestem meam miserunt sortem. Et milites
Mar.15. quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleopæ, & Maria Magdalene. Cùm uidisset ergo Iesus matrem, ac discipulum adstantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Po-
Ioan.17 stea sciens Iesus, quod omnia iam consum-
Psal.68. mata essent, ut consummaretur scriptura: dicit,

dicit: Sitio. Vas igitur erat positum aceto plenum. Illi uerò impleuerunt spongiam aceto & hysopo, & imposítam admouerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est: & inclinato capite, tradidit spiritum. Iudæi ergo quoniam paraſceue erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed unus militum lancea latus eius fodit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & uerum est testimonium eius. Et ille scit quòd uera dicit, ut & uos credatis. Facta sunt enim hęc, ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et rursus alia scriptura dicit: Videbunt in quem pupugerunt. Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph Arimathiensis, qui erat discipulus Iesu, sed occultus, propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Iesu: idque permisit Pilatus. Venit autem & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloës, ad libras fermè

Mat.27
Mat.25
Zac.15.
Exo.12.
Zac.12.
Ioan.3.

mè centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & obuinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in eo loco ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat: ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quod in propinquo esset monumentum, posuerunt Iesum.

Vigilia Paschæ.

Epistola. i. Pet. iij.

Mat.5. 1.Pet.2. PRęstat enim, vt bene agentes (si ita uelit Dei uoluntas) malis afficiamini, quàm malè facientes.

1.Pet.1. Quando quidem & Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, sed uiuificatus spiritu: in quo etiam abijt, & spiritibus, qui erant in carcere,

1.Pet.4 Gen.6. Mat.27 Luc.17 prędicauit, qui inobedientes fuerant quondã cùm semel expectabatur Dei lenitas in diebus Noe, cùm apparabatur arca, in qua paucæ, hoc est, octo animę seruatę fuerunt per aquã:

Rom.6 cuius figurę nunc respondens baptismus, nos quoque saluos reddit: quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, vt bona coscientia bene respondeat apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est ad dextram Dei,

pro-

profectus in cælum, subiectis sibi angelis & potestatibus, ac uirtutibus.

Euangelium. Math. xxvij.

CVm autem uespera facta esset, uenit homo diues ab Arimathea, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu: hic accessit ad Pilatum, ac postulauit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et cum accepisset corpus Ioseph, inuoluit illud sindone munda, posuitq; illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra: & aduoluto saxo ingenti ad ostium monumenti, abijt. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Postera autem die quæ sequitur parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quod impostor ille dixit adhuc uiuens: Post tres dies, resurgo. iube ergo muniri sepulchrum usque in diem tertium, ne quando ueniant discipuli eius, & furentur eum, dicántque plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior illo priore. Ait illis Pilat9: Habetis custodiam. Ite, munite sicut scitis. Illi autem abientes, munierunt sepulchrum obsignato lapide, adhibitis custobibus.

Mar. 15. Lucę. 23 Ioan. 29

Mar. 16 & 17. Mar. 9. Ioã. 18.

Die Paschæ.

Ad matutinas, loco Psal. Venite exultemus Domino, Antiphonæ sequentes cantabuntur, aut dicentur.

CHristus resurgens à morte, iam nõ amplius moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, semel mortuus propter abolitionem peccati. Quod autem uiuit, uiuit Deo. Ita existimate uosipsos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo, Per Iesum Christum Dominum nostrum.

NVnc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ eorum qui dormierunt. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Quẽadmodum enim omnes per Adam moriuntur, ita per Christum omnes viuificabuntur.

Collecta.

DEus, qui per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditũ, deuicta morte, reseraſti, uota nostra quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere. Per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui. &c.

Epistola. Colos. iij.

1. Pet. 1

ITaq; si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Superna curate, nõ terrestria. Siquidem emortui estis, & vita uestra ab-

abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quandocunque Chriſtus manifeſtatus fuerit, uita noſtra, tunc & uos cum illo manifeſtabimini in gloria. Mortificate igitur membra ueſtra terreſtria, ſtuprum, immundiciam, molliciem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum cultus: ob quæ uenire ſolet ira Dei in filios intractabiles, inter quos ambulabatis quondam, cùm uiueretis in his. Phil.3. 1.Ioã.3. 1.cor.6 Eph.5. Deu.27 ge.6.19 1.co.10 Ephe.2

Euangelium. Ioan.xx.

VNo uerò die Sabbatorum Maria Magdalene uenit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, uidetq; lapidem ſublatum à monumento. Currit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis: Suſtulerunt Dominum è monumento, & neſcimus ubi poſuerint eum. Exijt ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet, uidit poſita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus, ſequens eum, & introiuit in monumentum: & uidet linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non Mat.28 Mar.16 Luc.14 Ioan.13 & 19.21

cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille alius discipulus, qui uenerat prior ad monumentum, uiditq; & credidit. Nondum enim nouerant scripturam, quòd oportuisset eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo rursus discipuli ad semetipsos.

Feria secunda post Pascha.

Collecta.

Deus qui per unigenitum. &c.

vt supra in die Paschę.

Epistola. Actо. x.

Rom. 2 Eph. 6. Colo. 3 APeriens autem Petrus os, dixit: Reipsa comperio, quòd non sit personarum respectus apud Deum, sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Sermonem quem misit Deus filiis Israel, annuncians pacem per Iesum Christum (hic est omniũ Dominus) ipsi nostis, de quo sermone fama diuulgatum fuit in tota Iudęa, rumore primum orto à Galilæa, post baptisma quod prædicabat Ioannes, ut Iesum Nazarenum unxerit Deus Spiritu sancto, & uirtute, qui obambulauit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniã Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omniũ quę fecit & in regione Iudęorum, & Hierosolymis,

Mar. 4

Esa. 61.

rosolymis, quem occiderunt suspensum in ligno. Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus ac bibimus vnà cum illo, postea quàm resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur quòd ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo iudex uiuorũ ac mortuorum. Huic omnes prophetę testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Mat.28 Esa.42 & 53. Iere.30. Dani.9

Euangelium. Lucæ.xxiiij.

ET ecce duo ex illis ibant eodem die in castellum, quod aberat spatio stadiorũ sexaginta ab Hierosolymis, nomine Emaus: & ipsi confabulabantur inter se de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum confabularentur ac disputarent, & ipse Iesus appropinquans ibat unà cum illis. Cæterum oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos cõfertis inter uos ambulantes, & estis tristes? Ac respondens unus, cui nomen Cleopas, dixit ei: Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neque cognouisti quę facta sunt illic his diebꝰ? Quibus ille dixit: Quę? Et dixerunt ei: De Mar.16 Mat.28

Mat.21 Iesu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens opere & sermone coram Deo & toto populo: & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes,& principes nostri in condemnationem mortis,& crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus eum esse illum, qui redempturus esset Israel. Atqui super hæc omnia tertius dies est hodie, quòd hæc facta sunt.

Luc.20 Ioã.20. Sed & mulieres quædam ex nobis attonitos reddidere nos, quę diluculo peruenerunt ad monumentum,& non inuento corpore eius, uenerunt dicentes, se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicerent eum uiuere. Et abierunt quidam eorum, qui erant nobiscum ad monumentum, & ita repererunt sicut mulieres dixerant, ipsum uerò nõ uiderunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quę loquuti sunt Prophetæ: Nónne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Et exorsus à Mose, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

Esa.50. & 53.

Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse prę se ferebat se longius ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam uergit ad uesperam, & inclinatus est dies. Et intrauit ut maneret cum illis. Et factum est dum accumberet cum eis, accepit panem, & bene-

Gen.19 Luc.14 Mar.16

benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum, & ipse subduxit sese à conspectu eorum. Et dixerunt inter se: Nónne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadē hora, regressi sunt Hierosolyma, & inuenerūt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et illi narrabant quę gesta erant in uia: & quomodo fuisset agnitus ipsis ex fractione panis.

Feria tertia post Pascha.

Collecta.

OMnipotens pater, qui dedisti filium tuum, ut pro peccatis nostris moreretur, & pro iustitia nostra resurgeret, præsta, ut abiecto fermento malitiæ & nequitiæ, in puritate fidei & uitæ, tibi perpetuo seruiamus. Per. &c.

Epistola. Acto. xiij.

VIri fratres, filij generis Abrahæ, & qui inter uos timent Deum, uobis sermo salutis huius missus est. Qui enim habitabant Hierosolymis, & principes eorum, cū ignorarent illum, & uoces prophetarum quæ per omne Sabbatū leguntur, condemnato eo, imple- Mat. 10. 1. cor. 2.

Luc.23. pleuerunt: nullaq; causa mortis inuenta, petierunt à Pilato, ut interficerẽt illum. Cumq; cõsummassent omnia, quæ de eo scripta erãt, depositum de ligno, posuerunt in monumento. Deus autem suscitauit eum à mortuis, qui uisus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo à Galilęa Hierosolymam, qui sunt testes eiꝰ apud plebem. Et nos uobis annunciamus, quòd eam repromissionem quę ad patres facta est, Deus ædimpleuerit filijs illorum, nimirum nobis, resuscitato Iesu, sicut & in Psalmo primo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd autem suscitauit eum à mortuis, iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit: Dabo uobis sancta Dauid fidelia. Ideo & aliâs dicit: Non permittes ut sanctus tuus uideat corruptionem. Nã Dauid quidem cũ suæ ætati inseruisset, consilio Dei dormiuit: & appositus est ad patres suos, uiditq; corruptionem. At is quem Deus suscitauit, non uidit corruptionem. Notum igitur sit uobis uiri fratres, quòd per Hunc uobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur. Videte ergo ne superueniat uobis quod dictũ est in prophetis: Videte contemptores, & admiramini,

Joan.28 & 21.
Mæt.10
Act.1.
Psal.2.
Heb.1.
Esa.55.
Psal.15.
3.Re.2.
Abac.1.

&

& euaneſcite, quia opus operor ego in diebus ueſtris, quod non credetis, ſi quis enarrauerit uobis.

Euangelium. Lucæ xxiiij.

STetit Ieſus ipſe in medio diſcipulorũ, & dicit eis: Pax uobis. Expauefacti uerò & cõterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum uidere, & dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in cordibus ueſtris? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Cõtrectate me, & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Et cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus ac pedes. Adhuc autem illis non credentibus, præ gaudio & mirantibus, dixit illis: Habetis hic aliquid eduliũ? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & aliquid de fauo apiario. Et accepit, & in conſpectu illorum comedit. Et dixit ad eos: Hæc ſunt uerba, quæ loquutus ſum ad uos, cùm adhuc eſſem uobiſcum: quòd neceſſe foret implere omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſi, & prophetis, & pſalmis de me. Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere à mortuis tertio die: & prædicari nomine eius pœnitentiam, ac remiſſionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hieroſolymis.

Ioan.10

Ioan.21

Mat.16.

Act.17.

Mich.4

Vos autem estis testes horum.

Domnica prima post Pascha.

Collecta.

Deus qui per unigenitum tuum. &c.

vt supra in die Paschæ.

Epistola. i. Ioan. v.

Mne quod natum est ex Deo, uincit mundū: & hæc est uictoria quę
Ioā. 16. 1. co. 15 uicit mundum, fides nostra. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei? Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non per aquam solùm, sed per aquam & sanguinem. Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Spiritus est ueritas. Quoniam tres sunt
Mat. 3. & 17. Ioan. 1. & 12. qui testimonium dant in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum
Ioan. 5. sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de filio
Ioan. 3. Rom. 8 Gal. 4. suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso. Qui non crēdit Deo, mendacem fecit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc est testimonium, quòd uitam æternā dedit nobis Deus: & hæc uita in filio eius est.

Qui

Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium Dei, uitam non habet. Ioan.1.

Euangelium. Ioan.xx.

CVm ergo uespera esset die illo, qui erat unus Sabbatorum, & fores essent clausę, ubi erant discipuli congregati propter metū Iudæorum, uenit Iesus, stetitq; in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cùm hæc dixisset, ostēdit eis manus ac latus suum. Gauisi sunt ergo discipuli, uiso domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, ita & ego mitto uos. Hęc quū dixisset, flauit in eos, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittūtur eis: quorūcūque retinueritis, retenta sunt. Luc.24

Dominica.ii. post Pascha.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui dedisti nobis filium tuum ut esset & sacrificium pro peccato, & exemplū nouæ & æternę uitę, da ut gratis mētibus hoc inestimabile beneficiū agnoscam⁹, & exempla uitæ ipsius sanctissimę, perpetuò imitari studeamus. Per eundem Chrim̄. &c.

Epistola. i.Pet.ij.

NAm hæc est gratia, si quis propter conscientiā Dei suffert molestias, pręter me-

ritum affectus malis. Quæ enim est laus, si cum peccantes alapis cædimini, sufferetis? At
Mat.5. si cùm benefacitis, & tamen malis afficiamini,
1.Pet.3. suffertis. Hæc enim est gratia apud Deum. Siquidem in hoc uocati estis, quoniã & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis
Ioan.13 exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius
Phil. 2. qui peccatum non fecerat, nec inuentus est
Mat.27 dolus in ore illius: qui cùm maledictis incesseretur, non regesit maledicta: cùm malis
Ioan.8. afficeretur, non minabatur, sed tradidit uindictam ei, qui iudicat iustè, qui peccata no-
Esa.53. stra ipse pertulit in corpore suo super lignũ,
1.Ioan.3 quò peccatis mortui, iustitiæ uiueremus: cu-
Esa.53. ius eiusdem uibice sanati fuistis. Nam eratis
Eze.24 uelut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad
Luc.15. pastorem, & curatorem animarum uestrarũ.

Euangelium. Ioan.x.

Ezech. 34. Mich.5 DIxit Iesus discipulis suis: Ego sum Pastor ille bonus. Bonus pastor, animam
1.Ioã.3. suam dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deserit oues, fugitq;, & lupus rapit ac dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est,
2.Ti.2. & oues non sunt illi curæ. Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Sicut nouit me pater, ita & ego
Mat.11 Luc.10.

noui

nouí patrem, & animam meam pono pro ouibus. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas quoque oportet me adducere, & uocem meam audient: & fiet unum ouile, unus pastor. Mar.10

Dominica tertia post Pascha.

Collecta.

DEus, qui errantib⁹ ut in uiam possint redire, iustitiæ ueritatis tuæ lumẽ ostẽdis, da cunctis qui christiana professione censentur, & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari, Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. i.Pet.ij.

DIlecti, o bsecro tanquam aduenas ac peregrinos, abstinete à carnalibus concupiscentijs, quæ militant aduersus animam: & conuersationem uestram habete honestã inter gentes: ut in hoc quod obtrectant uobis quasi maleficis, ex bonis operibus çstimantes uos, glorificent Deum in die uisitationis. Proinde subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum: siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur: ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium. Quoniam sic est Rom.13 Gal.5. Mat.5. 1.Pet.3. Rom.13 Tit.3.

uoluntas Dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus ſtultis & ignorãtibus: tanquam liberi, & non ueluti prætextum habentes malitiæ libertatem, ſed tanquam ſerui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate.

Euangelium. Ioannis.xvi.

Ioã.7 DIxit Ieſus diſcipulis ſuis: Puſillũ & nõ uidetis me: & iterum puſillum & uidebitis mẽ, quia ego uado ad Patrem. Dixerunt ergo quidam ex diſcipulis eius inter ſe: Quid eſt hoc quod dicit nobis: Puſillum & non uidetis me. & rurſus, puſillum & uidebitis me, & quia ego uado ad patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit puſillum? Neſcimꝰ quid loquatur. Cognouit autem Ieſus, quòd uellẽt ipſum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos, quod dixi: Puſillum & non uidetis me, & iterum puſillum & uidebitis me: Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundꝰ contra gaudebit.

Ioan.20 Eſai.6. Vos autem mœrore afficiemini: ſed mœror ueſter uertetur in gaudium. Mulier cum parit, dolorem habet, quia uenit hora eius: cùm autẽ pepererit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat hominem eſſe natum in mundo. Et uos igitur nũc quidem mœrorem habetis: ſed iterũ uidebo uos, &

& gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrũ nemo tollit à uobis.

Dominica quarta post Pascha.

Collecta.

DEus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populo tuo id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis, ut inter mundanas uarietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi uera sunt gaudia. Per Christum Do. &c.

Epistola. Iacobi.i.

OMnis donatio bona, & omne donum perfectum, è supernis est, descẽdens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio. Is destinata uoluntate progenuit nos sermone ueritatis, ut essemus primitię quædam suarum creaturarum. Itaq; fratres mei dilecti, sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram. Nam ira uiri, iustitiam Dei non efficit. Quapropter deposita omni immunditia, & redundantia malitiæ, cum mansuetudine recipite insitum sermonẽ, qui potest saluas reddere animas uestras. Pro.2. Ioan.3. Ioan.1. I.cor.4 Pro.17 Eccle.5.

Euangelium. Ioannis.xvi.

NVnc autem uado ad cũ qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me, quò uadã. Sed qa hæc loquutus sum uobis, mœstitudo imple-

impleuit cor ueſtrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero, conſolator ille non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam eum ad uos.

Ioan.14 & 15. Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iuſtitia uerò, quia ad Patrem uado, & poſthac non

Ioã.21. uidetis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Ad hæc multa habeo quæ uobis dicam, ſed non poteſtis portare nunc. Cùm autem uenerit ille, qui eſt

Ioan.14 Spiritus Veritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed

Ioan.12 quæcunque audierit, loquetur: & quæ futura ſunt, annunciabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea

Mat.11. Luc.10 Ioan.3. ſunt. Propterea dixi uobis, quòd de meo accipiet, & annunciabit uobis.

Dominica quinta poſt paſcha.

Collecta.

Eus, à quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, ut cogitemus te inſpirante, quæ uera ſunt, & te gubernante, eadem faciamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amẽ.

Epi-

Epistola. Iacobi.i.

SItis autem effectores sermonis, & nõ auditores tantum, fallentes uosmetipsos. Rom.2
Quoniam si quis audiat sermonem, nec eum Luc.6
factis exprimat, hic similis est uiro considerranti faciem natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim seipsum, & abijt, & continuò oblitus est qualis esset. At qui prospexerit in Mat.5.
legem perfectam, quę est libertatis, & permanserit, hic cùm non sit auditor obliuiosus, sed effector operis, beatus facto suo erit. Si quis uidetur religiosus esse inter uos, qui nõ frænat linguam suam, sed aberrare sinit cor 1.Pet.3
suum, huius vana est religio. Religio pura & Luc.3.
immaculata apud Deum & Patrem, hæc est:
Inuisere orphanos & uiduas in afflictione 1.Ioa.2
sua, immaculatum seipsum seruare à mundo.

Euangelium. Ioan.xvi.

AMen amen dico uobis, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petistis quicquam, in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Hęc per prouer- Mat.13
bia loquutus sum uobis. Veniet temp⁹, cùm Mar.4.
iam non per prouerbia loquor uobis, sed palàm de Patre meo annunciabo uobis. In illo die, in nomine meo petetis. Et non dico uobis, quòd ego rogaturus sim patrem pro uo-

bis. Ipſe enim pater amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis quòd à Deo exiuerim. Exiui àpatre, & ueni in mundū: iterum relinquo mundum, & uado ad Patrem. Dicunt ei diſcipuli eius: Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbium ullum dicis. Nunc ſcimus, quòd ſcis omnia, nec opus eſt tibi, ut quis te interroget. Per hoc credimus, quòd à Deo exiſti. Reſpondit eis Ieſus: Nunc creditis. Ecce inſtat tempus, & iam uenit, ut diſpergamini unuſquiſque in ſua, méque ſolum relinquatis. & tamen non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Hæc loquutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habetis: ſed bono animo ſitis, ego uici mundum.

Ioa. 20
Ioan. 21
Zac. 3.
Mat. 26
Mat. 14

Die Aſcentionis Domini.

Collecta.

CONcede quæſumus omnipotens Deus, ut qui unigenitum tuum, redemptorem noſtrum, ad cælos aſcendiſſe credimus, ipſi quoque mente in cæleſtibus habitemus. Per eundem Dominum noſtrum. &c.

Epiſtola. Acto. 1.

SVperiore quidem uolumine diximus Theophile, de omnibus quæ cœpit Ieſus

sus tum facere, tum docere, ad eum usque diem, quo postquam impartitus in hoc ipsum spiritum sanctum, mandata dedisset, quos delegerat, apostolis, sursum assumptus est: quibus etiam seipsum exhibuerat uiuentem, postea quàm supplicio fuisset affectus: idq; compluribus argumentis, dum per dies quadraginta conspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno Dei. Et congregans illos in idem loci, præcepit eis ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum Patris: de quo, inquit, audistis ex me: quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini Spiritu sancto, post dies hosce non multos. Illi igitur ubi cõueniissent, percontabãtur illum, dicentes: Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israeli? Dixit autem ad illos: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporũ, quos Pater in sua ipsius constituit potestate: sed accipietis uirtutẽ, posteaquàm Spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerum etiam in uniuersa Iudæa, Samariaq;, denique usque ad extrema terræ. Atq; hæc loquutus, uidentibus ĩpsis, in altum sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorũ. Cumq; essent defixis in cælũ oculis, eunte illo, ecce uiri duo adstiterũt illis, amicti uestibus albis, qui

Ioan. 20
Ioan. 15
Ioan. 20 & 21.
Luc. 24
Ioan. 14
Acto. 11
Mat. 3.
Mat. 24
Acto. 1.
Esa. 2.

& dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis intuentes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in cælum, ſic ueniet, quemadmodum uidiſtis eum euntem in cælum.

Euangelium. Mar. xvi.

Luc. 24 APparuit Ieſus undecim, & exprobrauit illis incredulitatem ſuam, & cordis duritiem, quod his qui ipſum uidiſſent reſuſcitatum, non credidiſſent. Et dicebat eis: Ite in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Porrò ſigna eos qui crediderint, hæc ſubſequentur: Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent: & ſi quid lethale biberint, non nocebit eis: ſuper ægrotos manus imponent, & bene habebunt. Itaque Dominus quidem poſtquam loquutus fuiſſet eis, receptus eſt in cælum, & conſedit à dextris Dei. Illi uerò egreſsi, prędicauerunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia.

Mat. 28 Ioan. 20

Act. 5. Act. 2 Luc. 10 Act. 28 Act. 14 & 28. Luc. 24 Act. 1 & 7

Dominica poſt Aſcentionem.

Collecta.

Concede

DEus rex gloriæ, qui exaltasti filiũ tuum unigenitum Iesum Christũ ad dextam tuam, in glorioso regno tuo, æternæ uitæ, petimus, ne relinquas nos orphanos, sed mitte nobis spiritum sanctum paracletum, qui nos consoletur, & ut nos euehat ad illam gloriam, ad quam Domin⁹ & seruator noster Iesus Christus prior ascendit, Qui tecum uiuit. &c.

Epistola. i. Petri. iiij.

RErum omnium finis imminet. Sitis igitur sobrij, & uigilantes ad orandũ. Ante omnia uerò charitatem inter uos uehementẽ habentes. Nam charitas operit multitudinẽ peccatorum. Hospitales estote erga uos inuicem, sine murmurationibus. Vt quisq; accepit donum, ita alius in alium illud ministrãtes, ut boni dispensatores uariæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. Si quis ministrat, ministret tanquam ex uirtute, quam suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christũ, cui est gloria & imperium, in secula seculorum Amen.

2. Pet. 3
1. Ioa. 2
Mat. 24
Pro. 10
Heb. 13
2. Co. 8
Pro. 3.
Iere. 23.
Ro. 22

Euangelium. Ioannis. xv. xvi.

CVm autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à Patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quin & uos testes estis, quia ab

Isan. 14 & 16. Acto. 2

initio mecum estis.

Mat.10 & 24 Luc.21. Hæc loquutus sum uobis, ut ne quid offendamini. Alienos à synagogis facient uos. Sed ueniet temp⁹, ut quisquis interficiet uos, uideatur cultum præstare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt Patrem neq; me. Ioan.15 1.Co.2. Sed hæc loquutus sum uobis, ut cùm uenerit tempus illud, reminiscamini eorū, quòd ego dixerim uobis.

Die Pentecostes.

Collecta.

DEus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis eodem spiritu recta sapere, & de eius semper sancta consolatione gaudere: Per merita Seruatoris nostri Iesu Christi, qui tecum uiuit & regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Epistola. Acto. ij.

Deu 16. Leuit 26. ET quum compleretur dies Pentecostes, erant omnes unanimiter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonitus, tanquam impetu uenientis flatus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes. Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ uelut igneæ, se-

ſederuntq; ſuper ſingulos eorum, ac repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, cœperúntque loqui alijs linguis, prout ſpiritus ille dabat eloqui illis. Erant autem Hieroſolymis habitantes Iudæi, uiri religioſi, ex omni natione earum quę ſub cęlo ſunt. Is rumor cùm increbuiſſet, conuenit multitudo, & confuſa eſt, quòd audiret unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, ac mirabantur, dicentes inter ſeſe. Nónne ecce omnes iſti qui loquũtur Galilæi ſũt? Et quomodo nos audimus eos ſua quiſq; lingua in qua nati ſumꝰ? Parthi et Medi, & Elamitę, & habitatores Meſopotamiæ, Iudęæq; & Cappadociæ, Ponti & Aſię, Phrygię & Pãphylię, Aegypti & partiũ Libyæ, eius, quæ eſt finitima Cyrenæ, & aduenæ Romani, Iudæiq; & Proſelyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes noſtris linguis, magnifica Dei. Ioan.7 Act.4.

Euangelium. Ioannis.xiiij.

SI diligitis me, præcepta mea ſeruate. Et ego rogabo patrem, & alium conſolatorẽ dabit uobis, ut maneat uobiſcũ in æternũ, Spiritum ueritatis, quem mundus nõ poteſt accipere: quia nõ uidet eum, nec nouit eum. Vos autẽ cognoſcitis eũ, qa apud uos manet, & in uobis erit. Non relinquã uos orphanos, ueniam Pſal.45 Mat.28

ueniam ad uos. Adhuc pusillum, & mundus
Ioa. 20 me iam non uidet, uos autem uidetis me,
& 21 Quia ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos
cognoscetis, quòd ego sum in Patre meo, &
Ioan. 15 uos in me, & ego in uobis. Qui habet præce-
1. Ioa. 5 pta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.
Qui autem diligit me, diligetur à patre meo,
& ego diligam eum, & apariam ei meipsum.
Act. 15 Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine
quid factum est, quod manifestaturus es no-
bis teipsum, & non mundo? Respodit Iesus
& dixit ei: Si quis diligit me, sermonem me-
um seruabit, & Pater meus diliget eum, &
ad eum ueniemus, & mansionem apud eum
faciemus. Qui non diligit me, sermones me-
Ioa. 3. 7 os non seruat: & sermo quem auditis, non est
8. 12. & meus, sed eius qui misit me patris. Hæc lo-
14. quutus sum uobis, apud uos manens. Para-
Acto. 2 cletus autem ille, qui est Spiritus sanctus, quē
2. Ti. 1 spiritum mittet Pater nomine meo, ille uos
Ioan. 16 docebit omnia, & suggeret uobis omnia quę-
cunque dixi uobis. Pacem relinquo uobis,
pacem meam do uobis: non quomodo mun
dus dat, ego do uobis. Ne turbetur cor ue-
strum, neque formidet. Audistis quòd ego
dixi uobis: Vado, & uenio ad uos. Si dili-
geretis me, gauderetis utique quòd dixerim,
Vado ad patrem, quia Pater maior me est.

Et

Et nunc dixi uobis, prius quàm fiat, ut quũ factum fuerit, credatis. Posthac non multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus quod diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ioan. 13 & 16. Ioan. 12

Feria. ii. Pentecostes.

Collecta.

Deus qui corda fidelium. &c.

vt supra in die Pentecostes.

Epistola. Acto. x.

APeriens autem Petrus os, dixit: Re ipsa comperio, quòd non sit personarum respectus apud Deum, sed in quauis gente qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Sermonem quem misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus. Ipsi nostis de quo sermone fama diuulgatum fuit in tota Iudæa, rumore primũ orto à Galilæa, post baptisma quod predicabat Ioannes, ut Iesum Nazarenum vnxerit Deus Spiritu sancto & uirtute, qui obambulauit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniã Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit & in regione Iudęorũ & Hierosolymis, quem occiderunt suspensum in ligno. Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit Rom. 2 Eph. 6. Colo. 3 Esa. 36. Mat. 4. Esa. 61.

hibuit eum, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus ac bibimus
Luc.24. una cum illo, postea quàm resurrexit à mor-
Ioan.21 tuis. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur quòd ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo iudex uiuorũ ac mor-
Esa.42. tuorum. Huic omnes prophetę testimonium
& 53. ferunt, quòd remissionem peccatorum acce-
Iere.50. pturus sit per nomen eius, quisquis crediderit
Dani.9. in eum. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. Et obstupuerunt hi qui ex circumcisorum genere credebant, quotquot uenerant cum Petro, quòd & in gentes donũ Spiritus sancti effusum esset. Audiebãt enim illos loquentes linguis, ac magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Num quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini. Tunc rogauerunt eum, vt remaneret aliquot dies.
Acto.8

Euangelium. Ioannis.iij.

Rom.5 SIc Deus dilexit mundum, ut filium
1.Ioã.4. suum unigenitum daret, ut omnis qui
Mar.16 credit in eum non pereat, sed habeat uitam
Luc.19. æternam. Non enim misit Deus filium su-

um

um in mundum ut condemnet mundum, ſed ut ſeruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur. Qui uerò non credit iam condemnasus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hęc eſt autem condemnatio, quod lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipſius. Qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conſpicua fiant facta ipſius, quòd per Deum ſint facta. Ioan. 1. & 12. Eph. 5.

Feria tertia Pentecoſtes.

Collecta.

Deus, qui corda fidelium ſancti ſpiritus. &c,

vt ſupra in die Pentecoſtes.

Epiſtola. Acto. viij.

CVm autem audiſſent apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria ſermonem Dei, miſerũt ad eos Petrum ac Ioannem: qui cùm deſcendiſſent, orauerunt pro ipſis ut acciperent ſpiritum ſanctum. Nondũ enim in quenquam illorum illapſus fuerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Chriſti Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, accipiebantq; Spiritum ſanctum.

Euangelium. Ioan.x.

AMen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascēdit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienun autem non sequentur, sed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus, illi autem non cognouerunt quę essent quæ loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico uobis, ego sum ostium ouiū. Omnes quotquot āte me uenerūt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostiū, per me si quis introierit, seruabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non uenit nisi ut furetur & mactet, ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant.

Ioan.8. Pro.37. Ioan.14

Dominica S. Trinitatis.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti nobis famulis tuis in confessione ueræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere,

re, & in potentia Maiestatis adorare unitatem, quæsumus, ut eiusdem fidei firmitate, ab omnib⁹ semper muniamur aduersis. Qui uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Epistola. Apocalypsis. iiij.

POst hæc uidi, & ecce ostium apertum in cælo, & uox prima quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostendã tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu. Et ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedẽ sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidi iaspidi, & sardio: & iris erat in circuitu sedis, similis aspectu smaragdino. Et in circuitu sedis, sedilia uiginti quatuor, & super thronos uidi uiginti quatuor seniores sedentes, circũamictos stolis albis, & habebant in capitibus suis coronas aureas. Et de throno procedebant fulgura, & tonitrua, & uoces, & septem lampades ignis ardẽtes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis, tanquam mare uitreum simile crystallo: & in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia, plena oculis ante & retro. Et animal primum simile Leoni, & secundum animal simile uitulo, & tertium habens faciem uelut homo, & quartum animal, simile aquilæ uolanti. Dan. 7. apo. 20

Et quatuor animalia singula eorum habebãt alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis. Et requiem non habebant die ac nocte,
Esa.6. dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominꝰ Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui uenturus est. Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, uiuenti in secula seculorum, procidunt uiginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorant uiuentem in secula seculorum, & abiiciunt coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & uirtutem: quia tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam sunt, & creata sunt.

Euangelium. Ioan.iij.

Ioan.7 & 19. ERat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, sci-
Ioan.9. mus quòd à Deo uenisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quę tu facis, nisi fuerit Deus cùm eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnũ Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Num potest in uentrem matris suę iterum introire, ac nasci?

Re-

Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnū Dei. Quod natū est ex carne, caro est: & quod natū est ex spiritu, spiritus est. Ne mireris quòd dixi tibi: oportet uos nasci è supernis. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, & quo uadat. Sic est omnis qui natus est è Spiritu. Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es ille magister Israelis, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod scimus, loquimur, & quod uidimꝰ, testamur: & testimonium nostrum nō accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis cælestia, credituri sitis? Et nemo ascendit in cælum, nīsi qui descendit è cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Et sicut Moses exaltauit serpētē in deserto, ita exaltari oportet Filiū hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Ioan.4 & 7. Tit.3. Rom.8 Eccl.11 Nu.21. Ioan.8 & 12.

Dominica prima post Trinit.

Collecta.

DEꝰ, in te sperantiū fortitudo, adesto propicius inuocationibus nostris, & qa nihil sine te potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt in exe-

exequendis mandatis tuis, & uoluntate tibi & actione placeamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Eiſtola. i.Ioan.iiij.

CHariſsimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas eſt. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filiũ ſum unigenitum miſit Deus
Ioan.3. in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc eſt
Rom.5 charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuum propitiationẽ pro peccatis noſtris. Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debe-
Exo.33. mus nos mutuo diligere. Deum nemo uidit
Deu.4. unquam. Si diligamus nos inuicem, Deus in
Ioan.1. nobis manet, & charitas eius eſt perfecta in
1.tim.6 nobis. Ex hoc cognoſcim⁹ in eo nos manere, & ipſum in nobis, quòd de ſpiritu ſuo dedit nobis. Et nos uidimus & teſtamur, quòd pa-
Ioan.6. ter miſit filium ſeruatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit, quòd Ieſus eſt filius dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus & credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas nobiſcum,

ut

ut fiduciam habeamus in die iudicij, quod sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras ejicit timorem, quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit: Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quẽ uidit, Deum quem non uidit, quomodo potest diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deũ, diligat & fratrem suũ. 1. Ioa. 4. Leu. 19. Ioan. 13.

Euangelium. Lucæ. xvi.

HOmo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendidè. Erat autem quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulcerosus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, Sed & canes ueniebant, ac lingebant hulcera eius. Accidit autem ut moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in sinũ Abrahæ. Mortuus est autem & diues, ac sepultus est. Atque in tartaro, sublatis oculis suis, cùm esset in tormentis, uidet Abraham eminus, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ac re-

Gal.6. frigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac. Dixit autem Abraham: Fili, recordare quòd receperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu uerò cruciaris. Et super hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus est, vt hi qui uolunt hinc transire ad uos nõ possint, neq; istinc huc transcendere. Ait autem: Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testificetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatus. Ait illi Abraham: Habent Mosen ac prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Ait autem illi: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Dominica .ii. post Trinitat.

Collecta.

SAncti nominis tui Domine timorem pariter & amorem, fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos semel in soliditate tuę dilectionis instituis. Per Iesum Christum Dominum nostrũ. Amen.

Epi-

Epistola. i. Ioannis iij.

NE miremini fratres mei, si odit uos mundus. Nos scimus, quòd translati sumus de morte ad uitã, quia diligimus fratres. Qui nõ diligit fratrẽ, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suũ, homicida est: & scitis, quòd omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. Per hoc cognouimus charitatẽ, quoniã ille animam suã pro nobis posuit, & nos debem⁹ pro fratrib⁹ animas ponere. Qui uerò habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, ne diligamus uerbo, neq; lingua, sed opere & ueritate. Per hoc cognoscimus, quòd ex ueritate sumus, & in conspectu eius suadebimus cordib⁹ nostris. Quoniã si condemnet nos cor nostrum, maior est Deus cor nostro, & nouit omnia. Charissimi, si cor nostrũ nõ condemnet nos, fiduciã habem⁹ erga Deum: & quicquid petierim⁹, accipimus ab eo, quoniã præcepta eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Et hoc est præceptũ eius, ut credamus nomini filij ei⁹ Iesu Christi, & diligamus nos mutuo, sicut dedit præceptũ. Et qui seruat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo. Et per hoc scimus, quòd manet in nobis è spiritu quem nobis dedit.

Ioan. 15
Mat. 5.
Ioan. 15
Deu. 15.
Iacob. 2
Ioã. 16
Ioan. 5.

Euangelium. Lucæ xiiij.

Mat. 22 apo. 19

HOmo quidam apparauerat cœnam magnam, & uocauit multos: misitq; seruum suum hora cœnæ, ut diceret inuitatis: Venite, quia iam parata sunt omnia. Et cœperũt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse mihi est exire & uidere illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo ad probandum illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire. Ac reuersus seruus, renunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas, & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, claudosq; & cæcos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in uias

Gen. 19 Luc. 24

& sepes, & cõpelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico enim uobis, quòd nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam.

Dominica tertia.

Collecta.

QVæsumus nos Domine clementer exaudi, & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Christum Do. &c.

Epistola.

Epistola. i. Petri. v.

OMnes alius alij uicissim subijciamini. Humilitatem animi uobis infixam habete: propterea quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliemini igitur sub potenti manu Dei, ut uos extollat cùm erit opportunũ, omni cura uestra coniecta in illum. Nam illi cura est de uobis. Sobrij estote, uigilate, quoniam aduersarius uester diabolus, tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Cui resistite, solidi fide: scientes easdem afflictiones, uestræ, quæ in mundo est, fraternitati, consummari. Sed Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam per Christum Iesum, parumper afflictos, idem instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat. Ipsi gloria, imperium in secula seculorum. Amen.

Pro. 11
Iaco. 4.
Mat. 6.
Luc. 12.
Iob. 1.
Iaco. 4.

Euangelium. Lucæ. xv.

ACcedebant autẽ ad eum omnes publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Pharisæi ac Scribę, dicentes: Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis. Dicebat autem ad illos parabolam hanc dicens: Quis ex uobis est homo, qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nónne relinquit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueni-

at eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, ueniens{que} domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico uobis, quòd ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore resipiscente, magis quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decẽ, si perdiderit drachmam unã, non accendit lucernam & uerrit domum, quæritq; diligenter, donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico uobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore resipiscente.

1 Pet. 1.

Luc. 5.

Dominica quarta post Trinit.

Collecta.

PRotector omnium in te sperantium Deus, sine quo nihil est sanctum, nihil ualidum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Epi-

Epistola. Roma.viij.

REputo, non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quę reuelabitur erga nos. Etenim solicita creaturæ expectatio expectat ut palàm fiant filij Dei. Quippe uanitati creatura subiacet, non uolēs sed propter eum qui subiecit illam sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura congemiscit, simulq; nobiscum parturit usq; ad hoc tempus. Non solùm autē illa, sed & ipsi, qui primitias spiritus habem⁹: & nos ipsi in nobis ipsis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri.

2.cor.4
2.Cor.5
Ioā.16.

Euangelium. Lucæ.vi.

ESTote misericordes, sicut & Pater uester misericors est. Nolite iudicare, & nō iudicabimini. Nolite condemnare, & non cōdēnabimini. Remittite, & remittetur uobis. Date, & dabitur uobis. Mensurā bonam & confertā & concussam atq; exūdantē, dabunt in sinū uestrū. Eadē quippe mensura qua metimini, metientur alij uobis. Dicebat aūt illis similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus supra magistrum suum: perfectus autem omnis erit, sicut magister ipsius.

Mat.18
Mat.7.
pro.11.
Mat.7.
Mar.4.
Mat.15.

Quid

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio est, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciam festucam quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non uidens? Hypocrita, eiice primum trabē ex oculo tuo, & tunc perspicies ut eiicias festucam, quæ est in oculo fratris tui.

Dominica quinta.

Collecta.

DA nobis quæsumus, ut & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, & ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. i. Petri. iij.

OMnes sitis unanimes, similiter affecti, fraterna pręditi charitate, misericordes, affabiles, non retaliantes malum malo, aut conuitium conuitio, sed contrà benedicentes: scientes uos in hoc uocatos esse, ut benedictionem hæreditate possideatis. Nam qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquātur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eā: quoniam oculi Domini super iustos, & aures ei

Pro. 20
Mat. 5.
Ro. 12.
Psal. 33.

ad

ad deprecationem illorum. Rursus aspectus Domini super eos qui faciunt mala. Et quis est qui sit afflicturus uos, si bonitatis æmulatores fueritis? Imò si quid etiam acciderit incommodi propter iustitiam, beati tamẽ estis. Cęterum terrore illorum, ne terreamini, neque turbemini, sed Dominum Deum sanctificate in cordibus uestris. Mat. 5. Esa. 8. Mat. 10 Iob. 1.

Euangelium. Lucæ. v.

FActum est autem, cùm turba imminere ei ut audiret uerbum Dei, & ipse stabat iuxta stagnum Genezareth, & uidit duas naues stantes ad stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia. Ingressus autem in unam nauim, quę erat Simônis, rogauit eum ut à terra abduceret pusillum: & sedens docebat de naui turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simônem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cępimus: tamen tuo iussu laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in altera naui, ut uenirent & adiuuarent ipsos: & uenerunt, atque impleuerunt ambas naues, ita ut mergerẽtur. Quod cum uideret Simon Petrus, accidit ad genua Mat. 4. Mar. 1. Ioan. 21

Iesu, dicens: Discede à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo fuerant, super captu piscium quem ceperant: similiter autem Iacôbum & Ioannem filios Zebedęi, qui erant socij Simôni. Et ait ad Simônem Iesus: Ne metuas, post hac homines capies. Et subMat.4. ductus in terram nauibus, relictis omnibus, secuuti sunt eum.

Dominica sexta post Trinit.

Collecta.

DEus, qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omnium desiderium superant, consequamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Rom. vi.

Gal.1. Col.2. 1.Pet.5. ANignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus una cum illo per baptismum in mortem: ut quemadmodũ excitatus est Christ⁹ ex mortuis Eph.4. per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ Col.3. ambulemus. Nam si insititi facti sumus illi

per

per ſimilitudinem mortis eius, nimirum & reſurrectionis participes erim⁹: illud ſcientes, quòd uetus ille noſter homo cum illo crucifixus eſt, ut aboleretur corpus peccati, ut poſt hac non ſeruiamus peccato. Etenim qui mortu⁹ eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Quòd ſi mortui ſumus cum Chriſto, credimus quòd & uiuemus cum illo: ſcientes quòd Chriſtus excitatus à mortuis, nõ amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Nam quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit ſemel: quòd autem uiuit, uiuit Deo. Ita & uos reputate uos ipſos, mortuos quidem eſſe peccato, uiuentes autem Deo, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. Heb.9. 1.Pet.4 1.Ti.2. Apoc.1

Euangelium. Matt.v.

DIxit Ieſus diſcipulis ſuis: Niſi abũdauerit ueſtra iuſtitia plus quàm Scribarum & Phariſæorũ, nõ poſsitis ingredi in regnũ cęlorũ. Audiſtis quòd dictũ ſit ueteribus: Nõ occides: quiſquis aũt occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quòd quiſquis iraſcitur fratri ſuo temere, obnoxius erit iudicio. Quicũq; uerò dixerit fratri ſuo, Racha: obnoxius erit cõſilio. Quiſquis autẽ dixerit, Fatue, obnoxius erit gehennę incendio. Itaque ſi obtuleris munum tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid Exo.20 & 21. Leu.24 Deut 5. Iob.24 Mala.2

Iob. 42 aduersum te, relinque illic munus tuum co-
Mal. 2. ram altari, & abi, prius reconcilieris fratri
Luc. 12. tuo, & tum ueniens offer munus tuum. Ha-
Pro. 25 beto beneuolentiam cum aduersario tuo citò,
dum es in uia cū illo: ne quando te tradat ad-
uersarius iudici, & iudex te tradat ministro,
& in carcerem coijciaris. Amē dico tibi, non
exibis illinc, donec persolueris extremum
quadrantem.

Dominica vii. post Trinit.

Collecta.

DEus uirtutum, cuius est omne
quod est optimum, insere pecto-
ribus nostris amorem tui nomi-
nis, & pręsta nobis religionis in-
crementum, vt quæ bona sunt nutrias, & quę
sunt nutrita custodias, Per Iesum Christum
Dominum nostrum. &c.

Epistola. Rom. vi.

HVmanum quiddam dico, propter infir-
mitatem carnis uestrę. Quemadmodum
enim præbuistis membra uestra seruia immū-
dtiæ & iniquitati, ad aliam atque aliam ini-
quitatem: sic & nunc præbete membra ue-
stra seruia iustitiæ, ad sanctificationem. Cùm
enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ.
Quem igitur fructum habebatis tunc in his,

de

de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nunc uerò manumissi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitã æternam. Etenim autoramenta peccati, mors: donum autem Dei, uita æterna, per Christũ Iesum Dominum nostrum. Gen. 3. Rom. 5

Euangelium. Mar. viij.

IN diebus illis, Cùm turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis suis, ait illis: Misericordia tangor erga turbam, quia iam triduo manent apud me, nec habẽt quod edant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia. Quidam enim ex eis, è longinquo uenerũt. Et responderũt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic satiare panib⁹ in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi uerò dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et acceptis septem panibus, cum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis ut apponerent: & apposuerunt turbæ. Et habebant piscículos paucos: & cùm benedixisset, iussit apponi & hos. Comederũt autem, & saturati sunt: ac sustulerunt quæ superfuerant, fragmentorum septem sportas. Erant autem qui comederant, ferme quater mille, & dimisit illos. Tob. 13 Esa. 60. Mar. 6.

Dominica octaua post Trinit.

Collecta.

Eus, cuius prouidentia in sua dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Epistola. Rom. viij.

PRoinde fratres, debitores sum⁹ non carni, ut secundum carnem uiuamus: nam si secundum carnem uixeritis, moriemini. Quòd si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Etenim quicunque spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quod si filij, igitur & hęredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Siquidem simul cũ eo patimur, ut & unà cũ illo glorificemur.

Gal. 4. 2. Ti. 1. 2. Cor. 1 & 5. Eph. 1.

Euangelium. Matth. vij.

CAuete uerò uobis à pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus ipsorum agnoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis

Deu. 13. 1. Ioã. 4 Luc. 6.

ſpinis uuam? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: putris autem arbor, fructus malos facit. Non poteſt arbor bona, fructus malos facere, neque arbor putris, fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ, exciditur, & in ignẽ conijcitur. Igitur ex fructibus ipſorũ agnoſcetis eos. Non quiſquis dicit mihi: Domine, domine, introibit in regnum cælorum, ſed qui fecerit uoluntatem patris mei qui in cælis eſt. Mat.12. Iere.11. Math.3 Luc.3. Mat.26 Luc.6. & 13.

Dominica nona poſt Trinit.

Collecta.

LArgire nobis, quæſumus Domine, ſemper ſpiritum cogitandi quę recta ſunt, pariter & agendi, vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te uiuere ualeamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola. i. Corint. x.

NOlim autem uos ignorare fratres, quòd patres noſtri omnes ſub nube erant, & oẽs per mare tranſierunt: & omnes in Moſen baptazati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem comedebant, & omnes eundem potum ſpiritualem bibebant. Bibebant enim de ſpirituali, quæ illos comitabatur petra: petra uerò fuit Chriſtus. Exo.13. Exo.14 Exo.16 Exo.17 Nu.20. Mat.16

Sed.

Sed plures illorum non approbauit Deus:
Nu.14. prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostri fuerunt, ne nos simus concupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt. Neque simulachrorum sitis cultores, sicuti quidam illorum, quemad-
Exo.32 modum scriptum est: Sedit populus ut ederet ac biberet, & surrexerunt ad ludendum.
Nu.25. Neque stupris inquinemur, sicuti quidam il-
Psa.105 lorum stupris polluti sunt, & conciderunt uno die uiginti tria millia. Neque tentemus
Nu.21. Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Neque murmuretis, sicut & quidam illorum mur-
Nu.11. murauerunt, & interempti sunt ab extinctore. Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis. Scripta uerò sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt. Proinde, qui sibi uidetur stare, uideat ne cadat. Tentatio uos non cœpit nisi humana.
1.cor.1 Sed fidelis est Deus, qui non sinet uos tentari
1.Tes.2 supra id quod potestis: imò, faciet una cùm
2.Pet.2. tentatione euentum, quò possitis sufferre.

Euangelium. Lucæ.xvi.

DIxit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorẽ, & hic delatꝰ est apud illũ, ut qui dissiparet bona ipsius. Et uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio

audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ: non enim poteris post hac dispensare. Ait autem dispensator intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me dispensationem? Fodere non ualeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas. Cõuocatis itaque singulis debitoribꝰ domini sui, dicebat primo: Quantũ debes domino meo? At ille dixit: Centum batos olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò & scribe quinquaginta. Deinde alteri dixit: Tu uerò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quòd prudẽter fecisset. Quia filij huius seculi, prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Et ego uobis dico: Facite uobis amicos ex mammona iniusto: ut cùm defeceritis, recipiant uos in ęterna tabernacula.

Dominica decima post Trin.

Collecta.

PAteant aures misericordiæ tuæ Domine precibus supplicantiũ, & ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi placita sunt, postulare.

ſtulare, Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola. i.Cor.xij.

PORrò de ſpiritualibus, fratres, nolo uos ignorare. Scitis quòd gentes fuiſtis, & ad ſimulachra muta utcunq; ducebamini ſe-
Mar.6. quentes. Quapropter notū uobis facio, quòd nullus per ſpiritum Dei loquens, dicit anathema Ieſum. Et nemo poteſt dicere Dominū
Ro.12. Ieſum, niſi per Spiritum ſanctum. Diuiſiones autem donorum ſunt, ſed idem Spiritus: & diuiſiones myſteriorum ſunt, & idem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idē
Ioan.5. eſt Deus, efficiens omnia in omnibus. Vnicuique uerò datur manifeſtatio ſpiritus ad id
1.Cor.1 quod expedit. Nam huic quidem per Spiritū datur ſermo ſapientię, alij uero ſermo ſcientiæ, ſecundū eundem Spiritum. Alij uero fides per eundē Spiritum, alij uerò dona ſanationum per eundem Spiritum: alij uerò efficaciæ potentiarum, alij uero prophetia, alij ue-
1.Ioā.4 ro diſcretiones ſpirituum: alij uero genera linguarum, alij uero interpretatio linguarum. Sed omnia hęc efficit unus ille & idem Spiritus, diuidens peculiariter unicuiq; ſicuti uult.

Euangelium. Lucæ.xix.

Ioan.11 ET ut appropinquauit Ieſus Hieroſolymā, uidens ciuitatem fleuit ſuper illa, dicēs: Si cognouiſſes & tu, & quidem in iſto die tuo,

quę

quę ad pacē tuam pertinent, curares. Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia uenient dies in te, & circundabūt te inimici tui uallo, & cingent te, & coangustabūt te undique, & ſolo æquabunt te, & filios tuos qui in te ſunt. Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quod non cognoueris tempus uiſitationis tuę. Et ingreſſus in templum, cœpit eiȝcere uendētes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum eſt, Domus mea domus precationis eſt: uos autem feciſtis illam ſpeluncam latronū. Et docebat quotidie in templo. Ier. 51 mich. 4 Mat. 24 Mat. 13. Luc. 21. Mat. 21 Mar. 11 Ioan. 2. Eſa. 56. Ier. 7. 3. Re. 8.

Dominica. xi. poſt Trinit.

Collecta.

DEus, qui omnipotentiam tuā parcendo maxime & miſerendo manifeſtas, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe participes. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola. i. Cor. xv.

NOtum autē uobis facio fratres, Euangelium quod euangelizaui uobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalutē conſequimini, quo pacto annunciarim uobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi Gal. 1.

enim uobis in primis, quod & acceperam:
Esa.53. quod Christus mortuus fuerit pro peccatis
Dan.9 nostris, secundum scripturas: & quod sepul-
Ioan.2. tus sit, & quod resurrexit tertia die secundum
Mat.28 scripturas: & quod uisus sit Cephæ, deinde
Mar.16 duodecim illis: postea uisus est plus quam
quingentis fratribus simul, ex quibus plures
manent ad hunc usque diem: quidam autem
& obdormierunt. Deinde uisus est Iacôbo,
pòst Apostolis omnib⁹. Postremò uero om-
Eph.3. nium, uelut abortiuo, uisus est & mihi. Ego e-
nim sum minimus Apostolorum, qui non
sum idoneus, ut dicar Apostolus, propterea
Act.8. quod persecutus sum ecclesiam Dei. Sed gra-
& 9. tia Dei sum id quod sum. Et gratia eius quæ
profecta est in me, non fuit inanis, sed copio-
siùs quam illi omnes laboraui: non ego tamẽ,
sed gratia Dei quæ mihi adest. Siue igitur e-
go siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis.

Euangelium. Luc.xviij.

DIxit autem Iesus ad quosdam qui in se
cõfidebant quod essent iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam. Duo homines ascendebant in templum, ut precarentur: unus phariseus, & alter publicanus. Pha-
De.26. riszus stans, hæc apud se orabat: Deus, grati-
Eccl.7 as tibi ago, quod non sim sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publi-

publicanus: ieiuno bis in Sabbato, decimas do omniū quæ possideo. Et publicanus procul stans, nec oculos uolebat ad cælum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico uobis: Descendit hic iustificatus in domum suam, magis quam ille. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur: & qui se humiliat, extolletur. Mat.23 Luc.14

Dominica. xii. post Trinit.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis & uota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, & adijcias quæ oratio postulare non audet. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. ij. Corin. iij.

FIduciam autem huiusmodi habemus per Christum erga Deum, non quod idonei simus ex nobisipsis, cogitare quicquam tanquam ex nobisipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus: nam litera occidit, spiritus uerò uiuificat. Quòd si administratio mortis in literis, deformata in saxis, fuit in gloria, adeo ut non Phil.2. 1.cor.4 2.cor.6

possent oculos intendere filij Israel in faciem Mosi, propter gloriam uultus eius, quæ abo-
Act. 10 letur: cur non potius administratio Spirtus erit in gloria? Nam si administratio condemnationis gloria, multo magis excellit administratio iustitiæ in gloria.

Euangelium. Mar. vij.

Math. 9 Luc. 11. ET Iesus inde surgens, abijt in cõfinia Tyri ac Sidonis, & ingressus domũ, neminẽ uoluit scire, nec potuit latere. Mulier enim statim ut audiuit de eo, cuius filiola habebat spiritum immundum, uenit & accidit ad pedes eius. Erat enim mulier Græca Syrophœnissa genere, & rogabat eum, ut dæmonium eijceret de filia sua. Iesus autẽ dixit illi: Sine prius saturari filios. Non est enim honestum sumere panem filiorum, & proijcere catellis. At illa respondit, & dicit illi: Etiam Domine, nam catelli quoque comedunt sub mensa de micis filiorum. Et ait illi: Propter istum sermonem uade, exijt á dæmonium à filia tua. Et cùm abijsset in domum suam, reperit dæmonium exisse, & filiam iacentem super lectum. Et rursum egressus de finibus Tyri ac Sidonis, uenit ad mare Galilææ, per medios fines Decapolis, & adducunt ei surdũ, impeditæ á linguę, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et cùm apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, &

sputo

ſputo emiſſo, tetigit linguam eius, ac ſuſpiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephphata, quod eſt aperire. Et ſtatim apertæ ſunt eius aures, & ſolutum eſt uinculum linguæ eius, ac loquebatur rectè. Ac prȩcepit illis, ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis prȩceperat, hoc potius amplius prædicabāt, & ſupra modum ſtupebant, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos facit audire, & mutos loqui. Mar. 1. & 9.

Domnica. xiii. Poſt Trinit.

Collecta.

OMnipotens & miſericors Deus, à cuius beneficentia proficiſcitur ut tibi à fidelibus tuis digne & laudabiliter ſeruiatur, tribue quæſumus nobis, ut ad promiſsiones tuas ſine offenſione curramus. Per Ieſum Chriſtū Do. &c.

Epiſtola. Galat. iij.

ABrahæ dictę ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non dicit, Et ſeminibus: tanquā de multis, ſed tanquam de uno: & in ſemine tuo qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentum ante comprobatum à Deo erga Chriſtum, lex quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, ut abroget promiſsionem. Nam ſi ex lege eſt hæreditas, non iam ex promiſſione. Atqui Abrahæ per promiſſionem donauit Deus. Heb. 9. Exo. 12 Gen. 15 Act. 7. Ro. 4.

Quid

Ro.4. 7. 8. Act.7. Deut.5 Quid igitur lex? Propter transgressiones addita fuit, donec ueniret semen, cui promissum fuerat, ordinata per angelos in manu interces-soris. Interces-sor autem unius non est, at Deus unus est. Lex igitur, num est aduersus promissiones Dei? Absit. Etenim si data fuisset lex quæ possit uiuificare, uerè ex lege esset iu-
Rom.3 stitia. Sed concluſit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Euangelium. Lucæ.x.

Mat.13 BEati oculi qui uident, quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quòd multi prophetæ & reges uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo uitam ęternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit:
Deut.6 Diliges Dominum Dęum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiri-
Leu.19 bus tuis, & ex tota mente tua: & proximũ
Ro.13. tuum sicut te ipsum. Dixitq; illi: Recte respõdisti: hoc fac & uiues. Ille autem uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum. Et quis est meus proximus? Respondens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Hierosoly-

lymis in Hiericho, & incidit in latrones: qui etiam despoliauerunt eum uestibus: ac uulneribus inflictis, abierunt, semimortuo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet cadē uia, uisoq; illo, prēteriit. Similiter & Leuita, cùm iret iuxta locum, cùm accessisset ac uidisset eum, prēteriit. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit ad eum: & viso eo, misericordia motus est, & accedens, obligauit uulnera eius, infundens oleum ac uinum: & imponens illum in suum iumentum, duxit in diuersorium, & curam eius egit. Et postero die egrediēs, depromptos duos denarios, dedit hospiti, & ait ei: Curam illius habe, & quodcunq; prēterea insumpseris, ego cùm rediero, reddam tibi. Quis ergo horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: qui exercuit misericordiā in illum. Ait igitur illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

Dominica xiiii. post Trinit.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei & charitatis incrementum: & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare

quod præcipis. Per Iesum Christum, do. &c.

Epistola. Galath v.

1.pet.2. DIco autem, spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit aduersus spiritũ, spiritus autẽ aduersus carnẽ. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, ut nõ quæcunque uolueritis, eadẽ faciatis. Quòd si spiritu ducimini, nõ estis
1.tim.5 sub lege. Porrò manifesta sunt opera carnis, quę sunt hæc: adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulachrorum cultus, ueneficiũ, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiões, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia: de quibus prędico uobis quemadmodum & prædixi, quòd
1.Cor.5 qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.
Eph.5. Contrà, fructus spiritus est, charitas, gaudiũ,
Tit.2. pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mãsue-
Apo.22 tudo, temperantia. Aduersus huiusmodi nõ
1.tim.1. est lex. Qui uerò sunt Christi, carnem cruci-
Ro.13. fixerunt cum affectibus & concupiscentijs.
2.Pet.2.

Euangelium. Lucæ.xvij.

ET factũ est, dũ Iesus iret Hierosolymã, & ipse transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quendam uicum, occurrerunt ei decem uiri leprosi, qui steterunt procul, intentáque uoce dixerunt: Iesu præceptor, miserere nostri. Quos ut uidit,

dit, dixit illis: Ite, ostendite uos sacerdotib⁹. Et factum est, ut inter eundum mundati sint. Vnus autem ex illis, ut uidit quòd mundatus esset, regressus est cum uoce magna, glorificans Deum, & procidit in faciem ad pedes eius, gratias agens ei: & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nónne decem mundati sunt? Nouē autem illi ubi? Non sunt reperti qui redierint, ut darent gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, fides tua te seruauit. Leu. 14

Dominica xv. post Trinit.

Collecta.

CVstodi quęsumus Domine ecclesiam tuam, miseratione perpetua: & quia sine te labitur humana fragilitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omnibus abstrahatur noxijs, & ad salutaria cuncta dirigatur. Per Iesum Christū Dominum nostrum. Amen.

Epistola. Galat. vi.

VIdetis quanta uobis epistola scripserim, mea manu. Quicunque uolunt iuxta faciem placere in carne, ij cogunt uos circumcidi, tantùm ne ob crucem Christi persequutionem patiamur. Nam qui circumciduntur, ne ipsi quidem legem seruant: sed uolunt

uos circumcidi, ut in uestra carne glorientur. Ego uerò absit ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mun-
Gal.5. dus crucifixus est, & ego mundo. Nam in Christo Iesu, neq; circumcisio quicquam ualet, neque præputium, sed noua creatura. Et
psa.124 quicunque iuxta regulam hanc incedunt, pax super eos, & misericordia, & super Israelem Dei. De cætero ne quis mihi molestias
2.cor.4 exhibeat, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu uestro fratres, Amẽ.

Euangelium. Matt.vi.

Luc.16. NEmo potest duobus dominis seruire. Aut enim hunc habebit odio, & alterũ diliget: aut huic adhærebit, & alterum negliget. Non potestis Deo seruire, & mammo-
Luc.12. næ. Propterea dico uobis, ne sitis solliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis, aut bibituri: neque
psal.54 corpori uestro, quibus indumentis usuri.
1.pet.5. Nónne anima pluris est quam cibus, & corpus pluris quàm indumentum? Vertite oculos ad uolatilia cæli, quia non serunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & pater uester cælestis alit illa. Nónne uos longe præcellitis illa? Quis autem ex uobis sollicite cogitando, potest addere ad staturam suam cubitum unum? Ac de indumento quid solliciti

estis?

estis? Cognoscite lilia agri, quomodo crescãt: non laborant neque nent. Attamen dico uobis, ne Solomonem quidem in uniuersa gloria sua sic amictum fuisse, ut unum ex his. Quòd si gramẽ agri, quod hodie cum sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit: an non multo magis uobis id faciet, ô parum fidentes? Ne sitis igitur solliciti, dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Nam omnia ista gentes exquirunt. Nouit enim pater uester cœlestis, quòd opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia adijcientur uobis. Ne sitis igitur solliciti in crastinum, nam crastinus dies curã habebit suĩpsius. Sufficit sua diei afflictio. 3.reg.3.

Dominica xvi. post Trinit.

Collecta.

EXcelesiam tuam Domine misericordia continuata mundet & muniat, & quia sine te non potest salua cõsistere, tuo semper munere gubernetur. Per Iesum Christum Do. &c.

Epistola. Ephe. iij.

QVapropter peto, ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro uobis tolero, quæ est gloria uestra. Huius rei gratia flecto genua phili.1. 1.Tes.3.

genua mea ad patrẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis à communi patre cognatio in cælis & in terra nominatur, ut det uobis iuxta diuitias gloriæ ſuæ, ut fortitudine corroboremini per ſpiritum ſuum, in internum hominẽ, ut inhabitet Chriſtus per fidẽ in cordibus ueſtris, fixis in charitate radicibus, & fundamento iacto, ut ualeatis aſſequi cũ omnibus ſanctis, quę ſit latitudo, & longitudo, & profunditas, & ſublimitas, cognoſceréque præminentem cognitionis dilectionẽ Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem
Mat.6. Dei. Et uerò qui poteſt cumulatè facere ultra omnia quæ petimus, aut cogitam⁹, iuxta uim agentẽ in nobis, ſit gloria in eccleſia per Chriſtum Ieſum, in omnes ætates ſeculi ſeculorũ, Amen.

Euangelium. Lucæ. vij.

ET factũ eſt deinceps, ibat Ieſus in ciuitatẽ, quę uocatur Nain, & ibant cũ illo diſcipuli eius multi, turbaq; copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matri ſuæ: & hęc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quàm cùm uidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſsit, tetigítq; loculum. Porrò qui portabãt, ſub-

substiterũt. Et ait: Adolescens, tibi dico: Surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illũ matri suæ. Accepit autẽ omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Propheta magnus surrexit iuter nos, & Deus uisitauit plebem suam. Et exijt hic rumor in uniuersam Iudæam de eo, & omnem finitimam regionem. 3.re.17. 4.re.4. Act. 9. & 10. Ioan. 4 & 6.

Dominica xvii. post Trin.

Collecta.

IVa nos Domine quæsumus gratia semper præueniat & sequatur, ac bonis operibus præstet esse intentos. Per Iesum Christum. &c.

Epistola. Ephe.iiij.

HOrtor itaque uos ego uinctus in Domino, ut ambuletis, ita ut dignum est uocatione qua uocati estis, cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes uos inuicem per charitatem, studentes seruare vnitatem spiritus, per uinculum pacis. Vnum corpus & unus spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis. 1.Co.7 phili.1. Col.1. 1.Tes.4

Euan-

Euangelium. Lucæ. xiiij.

ET accidit ut introiret Iesꝰ in domũ cuiusdam principis Pharisæorum Sabbato, ad capiendum cibum, & ipsi obseruabant eũ. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus, dixit ad Legisperitos & Pharisæos, dicens: Num licet Sabbato sanare? At illi tacuerunt. Ipse uerò apprehensum, sanauit eum, ac dimisit. Et respõdens ad illos, dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteũ cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cũ inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accũbas in primo loco, ne quando honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere. Quin potius cùm uocatus fueris, uade ac accũbe in nouissimo loco, ut cùm uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria, coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se extollit, deijcietur, & qui se deijcit, extolletur.

Mat. 12
Mar. 5.
Luc. 6. & 13.

Exo. 23
deu. 22.

Pro. 25.

Mat. 23
Luc. 18
Phil. 2.

Do-

Dominica.xviii.post Trinit.

Collecta.

DA quæsumus Domine populo tuo diabolica uitare contagia, & te solũ uerum Deum pura mente sectari, Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. i.Cor.i.

GRatias ago Deo meo semper pro uobis de gratia Dei, quæ data est uobis per Christum Iesum, quod in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone, & omni cognitione: quibus rebus testimonium Iesu Christi confirmatum fuit in nobis, adeo ut nõ destituamini in ullo dono, expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit uos usque ad finem, inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi.

Euangelium. Matt.xxij.

PHarisæi autem quum audissent, quod Iesus obturasset os Sadducæis, conuenerunt in unum, & interrogauit eum unus ex eis, legis doctor quispiam, tentans eum, & dicens: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est primum & magnum

Mar.12. Luc.10. Deut.6 & 30.

gnum mandatum. Secundum autem simile est
Leui.19 huic: Diliges proximum tuum, perinde atque
Ro.13. te ipsum. In his duobus mandatis, tota lex &
Mar.12 Prophetę pendent. Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eū Dominum, dicēs:
Psa.109 Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere quicquam, neque ausus fuit quisquam ex eo die, eum amplius interrogare.

Dominica xix. post Trinit.

Collecta.

DIrigat corda nostra quæsum⁹ Domine tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Ephe iiij.

HOc itaque dico & testor per Dominum,
Ro.12. ne posthac ambuletis, quemadmodū &
2.Pet.4 reliquæ gentes ambulant, in uanitate mentis suæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati

alienati à vita Dei, propter ignorantiam quæ
est in illis, & excęcationem cordis eorum: qui
postea quàm peruenerunt in cò, ut dolore de-
sierint, semetipsos dediderunt lasciuiæ, ad pa-
randum immundiciam omnem cũ auiditate.
Vos autem non sic didicistis Christum: siqui-
dem illum audistis, & in eo docti fuistis, quẽ-
admodum est ueritas in Iesu, deponere iuxta Ro.6.
priorem conuersationem ueterem hominem, Col.3.
qui corrumpitur iuxta concupiscentias erro-
ris: renouari uerò spiritu mentis uestræ, &
induere nouum hominem, qui iuxta Deum
conditus est, per iustitiam, & sanctitatem ue- Zac.8.
ritatis. Quapropter depositio mendacio, lo- 1.pet.2.
quamini ueritatem quisque proximo suo, Mat.5.
quoniam sumus inuicem membra. Irascimini Psal.4.
& non peccetis. Sol ne occidat super iram
uestram, neq; detis locum calumniatori. Qui
furabatur, non amplius furetur: magis autem
laboret operando manibus quod bonum est, 2.Tes.3
ut possit impartiri ei qui opꝰ habuerit. Om- Mat.12
nis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat: Eph.5.
sed si quis est bonus ad ædificationem, quoti-
es opus est, ut det gratiam audientibus. Et ne
contristetis spiritum sanctum Dei, per quẽ
obsignati estis in diem redemptionis. Omnis 2.Cor.1
amarulentia & tumor, & ira, & uociferatio,
& maledicentia tollatur à uobis, cum omni

malicia. Sitis autem inuicē alius in alium comes, misericordes, largientes uobis inuicem, quemadmodum & Deus per Christum largitus est uobis.

Euangelium. Matt. ix.

Mat. 2. Luc. 5. Ioan. 5. ET ingressus Iesus nauē, traiecit, ac uenit in suam ciuitatē. Et ecce, adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem. Cumq; uidisset Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam è scribis dicebant intra sese: Hic blasphemat. Et cum uidisset Iesus cogitationes illorum, dixit: Quare uos cogitatis mala in cordibus uestris? Vtrum enim est facilius dicere: Remittuntur tibi peccata. an dicere: Surge & ambula? Vt autem sciatis quòd potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata. tunc dicit paralytico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum
Acto. 3 & 9. tuam. Et ille surrexit, abijtq; domum suam. Turbæ uerò quę uiderant, admirati sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.

Dominica. xx. Post Trinit.

Collecta.

Om-

OMnipotens & misericors Deus, uniuersa nobis aduersantia misericors exclude, ut mente & corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur, Per Christum Dominum nostrum.

Epistola. Ephe. v.

VIdete igitur quomodo circũspecte ambuletis, non ut insipientes, sed vt sapientes, redimentes occasionem, quòd dies mali sint. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes quæ sit uoluntas Domini. Et ne inebriemini uino, in quo luxus est, sed impleamini spiritu, loquẽtes uobismetipsis per psalmos, & hymnos, & cantiones spirituales, canentes ac psallentes in corde uestro Domino, gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri. Subditi uicissim alius alij, cum timore Dei.

Colo. 4
Ro. 12.
Eccl. 31.
Colo. 3.
psal. 97
1. Tes. 5.

Euangelium. Matt. xxij.

DIxit Iesus discipulis suis: Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et emisit seruos suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebãt uenire. Rursus emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui: tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexe-

Luc. 14.
Apo. 19

runt, & abierunt: alius in uillam suam, alius uerò ad negotiationem suam: reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos, occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est, & misis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quotcunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos: & impletæ sunt nuptię discumbentibus. Ingressus autem rex ut uideret discumbentes, ubi uidit illic hominem non uestitum ueste nuptiali, ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi.

Mat.13 & 25.

Mat.20

Dominica xxi. post Trinit.

Collecta.

Argire quæsumus Domine fidelibus tuis ueniam placatus & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur

dentur offensis, & secura tibi mente deseruiãt, Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Ephesios.vi.

QVod supereſt fratres mei, ſitis fortes per Dñm, perq; potentiam roboris illi9. Induite totam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare aduerſus aſſultus diaboli. Quoniam nõ eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius: aduerſus ſpirituales aſtutias in cęleſtibus. Quapropter aſſumite uniuerſam armaturam Dei, ut poſsitis reſiſtere in die mala, & omnibus peractis ſtare. State igitur lũbis circũcinctis baltheo per ueritatem, & induti thoracem iuſtitię, & calceati pedibus, ut parati ſitis ad Euangelium pacis: ſuper omnia aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Galeãq; ſalutaris accipite, & gladium ſpiritus, qui eſt uerbum Dei: in omni deprecatione & obſecratione, orantes in omni tempore, in ſpiritu, & ad hoc ipſum uigilantes cũ omni ſedulitate & deprecatione, pro omnibus ſanctis & pro me, ut mihi detur ſermo in apertione oris mei cũ libertate, ut notum faciam myſterium Euangelij mei: ſuq; quo legatione fungor in cathena, ut in eo liberè loquar, ſicut oportet me loqui.

Deu.23
Pſal.17
Eſa.11.
2.co.10
Sap.5.

Euan-

Euangelium. Ioan. iiij.

Mat. 8. Luc. 7. ERat autem quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum: hic cum audisset, quod Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut descenderet, ac sanaret ipsius filium: siquidem is agebat animam. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende, prius quàm moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes: Filius tuus uiuit. Sciscitatus est ergo horam ab eis, in qua melius habuisset. Et dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quòd illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus, Filius tuus uiuit: & credidit ipse, & domus eius tota. Act. 18. Hoc iterum secundum signum edidit Iesus, cùm uenisset à Iudæa in Galilæã.

Dominica xxii post Trinit.

Collecta.

FAmiliam tuam quęsumus Domine continua pietate custodi, ut à cunctis aduersitatibus, te protegente sit libera, & in omnibus actionibus

tionibus tuo nomini ſit deuota. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. &c.

Epiſtola. Philip. i.

GRatias ago Deo meo in omni memoria Colo. 1.
ueſtri, ſemper in omni precatione mea 1. Teſſ. 1
pro oĩbus uobis, cum gaudio precationem faciens, quod ueneritis in communionem Euãgelĩ, à primo die uſque ad hoc tempus: perſuaſum habens hoc ipſum, quòd is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet uſq; ad diem Ioan. 6.
Ieſu Chriſti: ſicut iuſtum eſt mihi, ut hoc ſentiam de omnibus vobis: propterea quòd habeam uos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & cõfirmatione Euangelĩ, quum ſitis omnes mihi conſortes gratiæ. Teſtis enim 1. Teſſ. 2
mihi eſt Deus, quàm deſiderem uos omnes in uiſceribus Ieſu Chriſti. Et illud oro, vt charitas veſtra adhuc magis ac magis exuberet in Eph. 1. Colo. 2
agnitione omnĩq; intelligentia: vt probetis 2. Teſ. 2.
quæ ſunt præſtantia, ut ſitis ſynceri: ac tales, vt nemini ſitis offendiculo in diem Chriſti, impleti fructu iuſtitiæ, qui contingit per Ieſum Chriſtum, ad gloriam & laudem Dei.

Euangelium. Matt. xviij.

ACcedens Petrus ad Ieſum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & Mat. 6
remittam ei? Num uſque ſepties? Dicit illi Ie- Mar. 11
ſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed uſque ſep- Luc. 17

tuagies ſepties. Ideo aſſimulatum eſt regnum cælorum homini regi, qui uoluit conferre rationem cum ſeruis ſuis: & cùm cœpiſſet conferre, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei
Matt.5. decem milia talentorum. Cæterùm cum is nõ eſſet ſoluendo, iuſsit eum Dominus uenundari, & uxorem eius & liberos, & omnia quę habebat, ac fieri ſolutionem. Procidens autem ſeruus ille, adorabat eum, dicens: Domine, eſto patiens erga me, & omnia tibi reddam. Miſertus autem dominus ſerui illius, abſoluit eum, & æs alienum remiſit ei. Egreſſus uerò ſeruus ille, inuenit unum de conſeruis ſuis, qui debebat ſibi centum denarios: & iniecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens: Solue quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Eſto patiens erga me, & omnia reddã tibi. At ille nolebat, ſed abiit & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum. Porrò cùm uidiſſent conſerui eius quę fiebant, indoluerunt ualde, & uenerunt, aperuerunt́q; domino ſuo, omnia quæ facta fuerant. Tunc accerſiuit illum
Iaco. 2. dominus ſuus, & ait illi: Serue ſceleſte totum debitum illud remiſi tibi, cùm obſecraſſes me: nónne oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus eram? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus,

quoad

quoadusque redderet totum quod debebatur sibi. Sic & Pater meus cælestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisq; fratri ex cordibus, uestris, delicta illorum. Matt. 6. Ma. 11.

Dominica xxiii post Trinit.

Collecta.

DEus nostrum refugium & uirtus, adesto piis ecclesiæ tuæ precibus, autor ipse pietatis, & præsta, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Phil. iij.

ESTote pariter imitatores mei fratres, & cõsiderate eos qui sic ambulant, quẽadmodũ habetis nos pro exemplari. Nam complures ambulant, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus uẽter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Nam nostra conuersatio in cælis est, ex quo & seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficatiam, qua potest etiam subijcere sibi omnia. 1. cor. 4 & 10. Ro. 16. Colo. 3. 1. Co. 15

Euangelium. Matthæi.xxij.

Mar.12 Luc.20 Ioan.7 TVnc abeuntes Phariſæi, conſilium ceperunt, vt illaquearent Ieſum in ſermone. Et ad illum emittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quòd verax ſis, & uiam Dei in veritate doceas, neque cures quenquam: non enim reſpicis perſonam hominũ: Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet cenſum dari Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus malicia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cẽſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis: Cuius eſt imago hæc, & inſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quę Mat.17 Ro.13. ſũt Cęſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Et his auditis, mirati ſunt: & omiſſo eo, abierũt.

Dominica.xxiiii.poſt Trinit.

Collecta.

ABſolue quęſumus Domine tuorum delicta populorum, vt à peccatorum noſtrorum nexibus, quę pro noſtra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. &c.

Epiſtola. Coloſſ.i.

Phil.1. 1.Theſſ.1. GRatias agimus Deo & patri domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper de uobis, cum oramus, quoniam audiuimus fidem veſtram

in

in Christo Iesu, & charitatẽ erga omnes sanctos, propter spem repositam uobis in cælis: de qua prius audieratis per sermonem veracem Euangelij, quod peruenit ad uos: quemadmodum & in toto mũdo etiam fructificat, Mat.4.
sicut & in uobis, ex eo die quo audistis & cognouistis gratiam Dei per veritatem. Quemadmodum & didicistis ex Epaphra dilecto Colo.4.
conseruo nostro, qui est fidus pro vobis minister Christi, qui & exposuit nobis vestram dilectionem in spiritu. Propterea & nos, ex quo die audiuimus, non desinimus pro vobis orare & poscere, vt impleamini agnitione uo 2.Te.4
luntatis eius, in omni sapientia & prudentia spirituali: vt ambuletis dignè Domino, vt per omnia placeatis, in omni opere bono fructi- Ioan.15
ficantes, & crescentes in agnitionem Dei, omni robore corroborati iuxta potentiam gloriæ illius, ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio: gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine.

Euangelium. Matt.ix.

CVm hæc loqueretur illis Iesus, ecce Mar.5.
primas quidam venit & adorauit eum, Luc.8.
dicens: Filia mea modò defuncta est: sed veni & impone manum tuam super illam, ac viuet. Et surgens Iesus sequutus est eum, ac discipuli illius. Et ecce mulier quæ sanguinis proflu-

uio laborauerat duodecim annos, accedens à tergo, tetigit fimbriam ueſtimenti illius. dixerat enim intra ſeſe: Si tantum tetigero ueſtimentum illius, ero ſalua. At Ieſus conuerſus ut uidit illam, dixit: Confide filia, fides tua ſaluam te fecit. Et ſalua facta fuit mulier à tem
Mar.5. pore illo. Et cùm ueniſſet Ieſus in ædes pri-
Lucæ.8 matis, uidiſſetq; tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis: Secedite, non enim mor-
Ioan.11. tua eſt adoleſcentula, ſed dormit. Et deridebant illum. Cùm autem fuiſſet eiecta turba, introgreſſus, tenuit manum illius, & ſurrexit adoleſcentula. Et emanauit rumor hic, in totam terram illam.

Dominica. xxv. Poſt Trinit.

Collecta.

EXcita quæſumus Domine tuorum fidelium uoluntas, ut diuini operis fructum propenſius exequentes, pietatis tuæ præmia maiora percipiant, Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Lectio. Ieremiæ. xxiij.

Eſa.4. ECce dies ueniunt, dicit Dominus: & ſuſci-
40. 45. tabo Dauid germen iuſtum: & regnabit
Eze.34. rex, & ſapiens erit: & faciet iudicium & iuſti-
Dani.9. tiam in terra. In diebus illiis ſaluabitur Iuda,
Ioan. 1.

&

& Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen quod uocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Propter hoc ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra: Viuit Dominus qui eduxit filios Iſrael de terra Aegypti: Deut.33 Iere.16. ſed, Viuit Dominus qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſrael de terra aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc: & habitabunt in terra ſua.

Euangelium. Ioan.vi.

CVm ſuſtuliſſet ergo oculos Ieſus, & uidiſſet quòd multa turba ueniret ad ſe, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut edant iſti? Hoc autem dicebat, tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſq; puſillũ quippiam accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ipſius, Andreas, frater Simônis Petri: Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tam multos? Dixit autem Ieſus: Facite ut homines diſcumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Diſcubuerunt ergo uiri, numero ferme quinquies mille. Accepit autem panes Ieſus: cumq; gratias egiſſet, diſtribuit diſcipulis, diſcipuli uero diſcumbentibus. Similiter & ex piſcibus quantum uolebant

Mat.14. Mar.6. Lucæ.9 4.reg.4.

bãt. Vt autẽ impleti ſunt, dicit diſcipulis ſuis: Colligite quę ſuperfuerunt fragmẽta, ne quid pereat. Collegerunt ergo, & impleuerũt duodecim cophinos fragmentorum ex quinq; panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerant his qui comederant. Illi ergo homines cum vidiſſent, quòd Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Hic eſt uerè Propheta ille, qui uenturus eſt in mundum.

Luc. 7. Ioan. 4

Si ante Dominicam Aduentus Domini plures iſtis. xxv. acciderint Dominicę, Collecta, Epiſtola & Euangelium dicantur, quę Dominicis inter Epiphaniam & Septuageſimam aſſignata ſunt, & erant omiſſa.

Die Sancti Andreæ apoſtoli.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui dediſti beato Andreæ Apoſtolo tuo, vt acerbam & ignominioſam crucis mortem duceret ſibi pro magna gloria, tribue vt omnia nobis aduerſa pro nomine tuo, ducamus profutura ad æternam vitam conducibilia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola. Romanos x.

SI confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd Deus

Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris.
Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem
confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Esa.28.
Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim
est distinctio uel Iudæi uel Græci: nam idem
dominus omnium, diues in omnes inuocan-
tes se. Quisquis enim inuocauerit nomen Do Ioel.2.
mini, saluus erit. Quomodo igitur inuoca- Act.2.
bunt eum, in quem non crediderunt? Quo- & 22.
modo autem credent ei, de quo non audie-
runt? Quomodo autem audient, absque prę-
dicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi
missi fuerint? Sicut scriptum est: Quam spe- Esa.52.
cioſi pedes annunciantium pacem, annuncian-
tium bona? At non omnes obedierunt Euan-
gelio. Esaias enim dicit: Domine, quis cre- Esa.53.
didit sermonibus nostris? Ergo fides ex au- Ioan.12
ditu est: auditus autem per uerbum Dei. Sed
dico: An non audierunt? Atqui in omnem Psal.18
terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis
terrarum uerba illorum. Sed dico, Nunquid
non cognouit Israel? Primus Moses dicit: E- Deu.32
go ad æmulationem prouocabo uos per gen-
tem quæ non est gens, per gentem stultam ad
iram commouebo uos. Esaias autem post hūc Esa.52.
audet, ac dicit: Inuentus sui his, qui me non & 65.
quærebant. Aduersus Israel autem dicit:
Toto die expandi manus meas ad populum Esa.65

non credentem & contradicentem.

Euangelium. Matt. iiij.

AMbulans autem Iesus iuxta mare Galileæ, uidit duos fratres, Simônem qui uocabatur Petrus, & Andream fratrem eius, iacientes rete in mare, (nam erant piscatores) & dicit illis: Sequamini me, & faciam uos piscatores hominum. At illi relictis ilico retibus, secuti sunt illum. Et progressus illinc, uidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedęo patre suo, sarcientes retia sua, & uocauit eos. At illi protinus relicta naui, & patre suo, secuti sunt eum.

Ier. 16. Eze. 47

Mat. 16. Lucę. 5.

Die Sancti Thomæ apostoli.

Collecta.

OMnipotens æternę Deus, qui pro confirmatione fidei nostræ beatum Thomam Apostolum de resurrectione Filij tui dubitantem confirmasti, concede nobis, ut uerè & sine ulla dubitatione credamus in filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, & ut fides nostra coram te, nunquam mereatur reprehensionem. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.

Epi-

Epiſtola. Ephe. ij.

IAm non eſtis hoſpites & incolæ, ſed conciues Sanctorum, ac demeſtici Dei, ſuperſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac 1.cor.3.
prophetarum, ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto: in quo quæcunq; ſtructura 1.Pet.2.
coagmentatur, ea creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo & uos coædificamini in habitaculum Dei, per Spiritum.

Euangelium. Ioan. xx.

THomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, Ioan.11.
quando uenit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: uidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi uidero in manibus eius ueſtigiũ clauorũ, & mittam digitũ meum in ueſtigiũ clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed credens. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Ieſus: Quia uidiſti me Thoma, credidiſti: Beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Ioā.21. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.

Die Conuersionis S. Pauli.

Collecta.

DEus, qui uniuersum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da nobis quæsumus, ut cuius Conuersionem recolimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Acto. ix.

Act.8. 22.26. 1.Cor. 15. Gal.1. SAulus autem adhuc spirans minas ac cædem aduersus discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas, quas perferret Damascum ad synagogas: ut si quos inuenisset eius uiæ seu uiros seu mulieres, uinctos duceret Hierosolymam. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco. Et subitò circumfulgurauit eum lux de cælo, collapsusq; in terram, audiuit uocem dicentem sibi: Saul, Saul, quid me persequeris? Dixit autem: Quis es domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus quem

4.re.19 Zac.2. Mat.25

quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contrā ſtimulos calcitrare. Is tremens ac ſtupens, dixit: Domine, quid me uis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi qui erant ei comites itineris, ſtabāt attoniti, audientes quidem uocem, neminem tamen uidentes. Surrexit autem Saulus è terra, apertiſq; oculis, neminem uidebat: ſed manu ducentes illum, introduxerunt Damaſcū. Et erat tribus diebus non uidens, ac nō comedit neque bibit. Erat autē quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illum per uiſum Dominus: Anania. Et ille ait: Ecce ego domine. Et Dominus ad eum: Surge & uade in uicum qui uocatur Rectus, & quære in domo Iudæ, Saulū nomine Tarſenſem: Ecce enim orat. Et uidit per uiſum uirum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem ſibi manum ut uiſum reciperet. Reſpondit autem Ananias: Domine, audiui ex multis de uiro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis Hieroſolymæ. Et hoc loco habet poteſtatem à principibus ſacerdotum, uinciendi omnes qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam organū electum eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gētibus, & regibus, ac filijs Iſrael. Ego

Act. 22. & 16.

Dan. 3. & 10.

Act. 21 & 22.

Exo. 4. Iere. 1. Act. 8.

Gal. 1.

enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro
Act.22. nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uisum recipias, & implearis Spiritu sancto. Et confestim deciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & uisum recepit, & surgens baptizatus est. Cumq; cepisset cibum, corroboratus est. Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuò in synagogis prædicabat Christum, quòd is esset filius Dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ac dicebant: Nónne hic est qui expugnabat Hierosolymis eos, qui inuocabant nomen istud? Et huc ad hoc uenit, vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum? Saulus autem multò magis inualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans, quòd is esset Christus.

Euangelium. Matthæi.xix.

Mar.10 Luc.18 RESpondens Petrus, dixit Iesu: Ecce nos reliquimus omnia, & secuuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis:
Luc.21. Amen dico uobis, quod uos qui secuuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos su-
Sap.5. per sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus

h⁹ Israel. Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hereditatem. Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Deut. 33 Iob. 42

Die purificationis Mariæ vir.

Collecta.

OMnipotens Deus, maiestatem tuam supplices exoramus, vt sicut unigenitus filius tuus cum carnis nostræ substantia hodie tibi in templo est præsentatus, ita nos facias purgatis mentibus tibi præsentari, & uitam obtinere æternam: Per eundem Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola.

Eadem cum illa quæ, assignatur diei Dominico.

Euangelium. Luc. ij.

POstea quam completi fuissent dies purgationis eorum secundum legem Mosi, abduxerunt eum Hierosolymam, ut sisterent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini. Omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Domino uocabitur: & vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Leui. 12 Exo. 13 Num. 8

Exo.13 Nu.8. in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat Hierosolymis, cui nomen Simeon, & homo iste iustus ac pius, expectans consolationem Israel, & spiritus sanctus erat super eum. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum Domini. Et uenit per spiritum in templum.

Die Mathiæ Apostoli.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui in locum Iudę traditoris elegisti fidelem seruum tuum Mathiam, ut esset unus ex numero duodecim Apostolorum, defende ecclesiam tuam à doctrina pseudoapostolorum, & tribue ut à ueris pastoribus gubernetur. Per Iesum Christum dominum nostrum.

Epistola. Actor.i.

IN diebus his, exurgens Petrus in medio discipulorum, dixit: (eratq; turba nominum simul ferè centum viginti) Viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux his, qui comprehenderunt Iesum: quia cooptatus erat in numerum nostrum, & sortitus erat partem ministerij hui⁹.

Mat.16 Ioã.18. Mat.10

Et

Et is quidem parauit agrum ex mercede iniquitatis, ſuſpenſusq; crepuit medius, & effuſa ſunt omnia uiſcera eius. Et innotuit omnibus habitantibus Hieroſolymæ, ita ut appellaretur ager ille, lingua illis uernacula, Acelda-ma: hoc eſt, ager ſanguinis. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eius deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: &, Epiſcopatum eius accipiat alter. Oportet igitur ut ex his uiris, qui nobiſcū uerſati ſunt toto tempore, quo dominus Ieſus perpetuam uitę conſuetudinem egit nobiſcum, exorſus à baptiſmo Ioannis, ad eum uſq; diem quo receptus eſt à nobis, unus quiſpiam conſtituatur, qui ſit unà nobiſcum teſtis reſurrectionis eius. Et ſtatuerunt duos: Ioſeph qui uocatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam. Et facta precatione, dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende utrum elegeris ex his duobus, ut accipiat ſortem miniſterij huius & apoſtolatus, unde prævaricatus excidit Iudas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eorum, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & cooptatus eſt ad numerum undecim Apoſtolorum. Mat. 27. Pſal. 68. Pſa. 108. Act. 6. 1. Par. 29. Pro. 16.

Euangelium. Matth. xi.

IN illo tempore, reſpondens Ieſus, dixit: Gratias ago tibi pater Domine cæli & Luc. 18

Pro.11. terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Certè pater, sic fuit bona voluntas apud te. Omnia
Mat.28 mihi tradita sunt à patre meo: & nemo nouit
Luc.10 filium, nisi pater: neq; patrem quisquam no-
Ioan.3. uit, nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & o-
Eccl.6. nerati estis, & ego refocillabo uos. Tollite iu-
Iere.6. gum meum super uos, & discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum commodum est, & onus meum leue est.

Annunciatio beatæ Mariæ.

Epistola.

MEntibus nostris, quęsumus Domine, gratiam tuam benignus infunde, vt qui filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur: Per eundem Christum Dominum nostrum. Lectio. Esa. vij.

ET adiecit dominus loqui ad Achaz, dicēs: Pete tibi signum à Domino deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprá. Et dixit Achaz: Non petā: & non tentabo dominū. Et dixit: Audite ergo domus Dauid, Nunquid parum vobis est molestos esse homini

bus,

bus, quia molesti estis & deo meo? Propter hoc dabit dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.

Euangelium. Lucæ. i.

IN mense autem sexto, missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galileæ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, ac nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue gratiosa, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Illa verò cum vidisset, turbata est super oratione eius, & cogitabat qualis esset illa salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, ac vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo erit istud, quandoquidem virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus Altissimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod

Mar. 1.
Esa. 7.
Mat. 1.
Dan. 7.
Mic. 4.
Heb. 1.

 nascetur

nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. Atq; ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quæ dicebatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne uerbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Ac discessit ab illa Angelus.

Mar.9. Luc.18.

Die S. Marci Euangelistæ.

Collecta.

DEus, qui beatum Marcum Euangelistam tuū, ad Euangelice prædicationis gratiam euexisti, tribue quæsumus, nos semper sancto tuo Euangelio proficere, & fidei constantia stabiliri, vt non simus semper pueri, fluctuantes omni uento doctrinæ. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Ephe.iiij.

VErùm unicuiq; nostrum data est gratia iuxta mensurā donationis Christi. Quapropter dicit: Cùm ascendisset in altùm, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Cæterùm illud Ascendit, quid est, nisi quòd etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descendit, idem ille est, qui etiam ascendit supra omnes cælos, ut impleret

Ro.12. 1.cor.12 Psal.67 Esa.45. Iob.3.

ret omnia. Et idem dedit, alios quidem apo- 1. cor. 12
stolos, alios uerò prophetas, alios autem E-
uangelistas, alios autem pastores ac doctores,
ad instaurationem sanctorum in opus admi-
nistrationis, in ædificationē corporis Christi,
donec perueniamus omnes in unitatem fidei
& agnitionis filij Dei, in uirum perfectum,
in mensuram ætatis plene adultę Christi, ut 1. Cor.
non amplius simus pueri, qui fluctuemus & 14
circumferamur quouis uento doctrinæ, per Colo. 2.
uersutiam hominum, per astutiam qua nos
adoriuntur, ut imponant nobis, sed ueritā-
tem sectantes in charitate, adolescamus in il-
lum per omnia, qui est caput, nempe Chri-
stus: in quo totum corpus, si coagmentetur,
& compingatur per omnem commissuram
subministrationis, iuxta actum in mensura
uniuscuiusque partis, incrementum corporis
facit, in ędificationem sui ipsius, per chari-
tatem.

Euangelium. Ioan. xv.

DIxit Iesus discipulis suis: Ego sum uitis ue- Ecl. 24.
ra, & pater meus agricola est. Omne m
palmitem in me non ferentem fructum, tollit:
& omnem qui fert fructum, purgat, ut fru-
ctum copiosiorē afferat. Iam uos mundi estis, Ioā. 13.
propter sermonem quem loquutus sum uobis. Act. 23.
Manete in me, & ego in uobis. Sicut palmes

nisi potest ferre fructum à semetipso, nisi mā-
serit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.
Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in
me, & ego in eo, hic fert fructum multum:
quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me
non manserit, eiectus est foras sicut palmes,
Mat. 21. & exaruit: & colligunt eos, & in ignem con-
Mar. 11 iciunt, & ardent. Si manseritis in me, & ver-
Ioā. 14. & 16. ba mea in vobis manserint, quicquid uolue-
ritis petetis, & fiet vobis. In hoc glorificatus
est pater meus, vt fructum copiosum affera-
tis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit
me pater, ita & ego dilexi uos. Manete in
dilectione mea. Si præcepta mea seruaueri-
tis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego
patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius
dilectione. Hæc loquutus sum uobis, vt gau-
dium meum in vobis maneat, & gaudium
vestrum impleatur.

Die Philippi & Iacobi apost.

Collecta.

OMnipotens Deus, cuius vera co-
gnitio vita æterna est, fac nos crede
re filium tuum dominum nostrum
Iesum Christum esse viam, & ve-
ritatem, & vitam, id quod sancti Apostoli
tui Philippus & Iacobus crediderunt & do-
cuerunt. Per eundem Dominū nr̄m Iesū. &c.

Epistola.

Epistola. Iacobi. i.

IAcôbus Dei ac domini Iesu Christi ser-
uus, duodecim tribubus quæ sunt in di-
spertione, salutem. Pro summo gaudio duci-
te fratres mei, quoties in tentationes incideri-
tis varias: illud scientes, quòd exploratio fi- Rom. 5
dei uestræ, parit patientiam. Cæterùm pati- 1. Pet. 1
entia opus perfectum habeat, vt sitis perfecti Zac. 13
& integri, nullaq; in parte diminuti. Quòd Ioan. 16
si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo Pro. 2.
qui dat, nempe Deo: qui dat inquam omni-
bus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei.
Sed postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nã Mar. 11
qui hæsitat, is similis est fluctui maris qui vẽ-
tis agitur, & impetu rapitur. Neq; enim exi-
stimet homo ille se, quicquam accepturum à
Domino. Vir animo duplici, inconstans est
in omnibus uijs suis. Glorietur autem frater,
qui est humilis, in sublimitate sua. Contrà
qui diues est, in humiliatione sui: quoniam
ueluti flos herbæ præteribit. Exortus est e- Eccl. 14
nim sol cum æstu, & exaruit herba, & flos il- Esa. 40
lius decidit, & decor aspectus illius perijt. Sic 2. pet. 1.
& diues, in uijs suis marcescet. Beatus vir qui Iob. 5.
suffert tentationem: quoniam cùm proba-
tus erit, accipiet coronam vitæ, quam promi-
sit Dominus ijs, à quibus fuerit dilectus.

Euangelium

Euangelium. Ioan. xiiij.

DIxit Iesus discipulis suis: Ne turbetur cor uestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei, mansiones multæ sunt. Quòd si secus esset, dixissem uobis, Vado paraturus uobis locum. Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis: & quò ego uado scitis, & uiam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò uadis, & quomodo possumus uiam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum utique cognouissetis. Et nunc cognoscitis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore uobiscum sum; & non cognouistis me? Philippe, qui uidit me, uidit patrem. Et quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis quòd ego in patre sum, & pater in me? Verba quæ ego loquor uobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Credite mihi, quòd ego in patre sum, & pater in me. Alioqui propter ipsa facta, credite mihi. Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora

Ioã. 8.

Ioan. 1. & 11.

Ioan. 6.

Ioan. 10

Ioan. 3. 7. 8. 12 & 14.

bis

his faciet, quia ego ad patrem vado. Et quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater per filium. Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam.

Die Barnabæ Apostoli.

Collecta.

OMnipotens Domine, qui sanctum Apostolum tuum Barnabam singularibus donis sancti Spiritus ornasti, quęsumus, ne linas nos destitui multiplicibus donis tuis aut gratia tua, vt illis recte vtamur ad laudem & gloriam sanctissimi nominis tui. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Acto. xi.

PErvenit autem rumor ad aures ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super his: & miserunt Barnabam, vt iret ad Antiochiam. Qui cum peruenisset, & uidisset gratiã Dei, gauisus est: & hortabatur omnes, ut proposito cordis perseuerarent adhærere Domino. Nam erat uir bonus, ac plenus Spiritu sancto, & fide. Et addita est multa turba Domino. Profectus est autẽ Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum, quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Accidit autem ut annum totum consuetudinem agerent cum ea congregatione, docerentq; turbam multam

Act. 13.

Act. 9.

& discipuli cognominarentur primùm Antiochiæ, Christiani. In his autẽ diebus superuenerunt ab urbe Hierosolymorum prophetæ Antiochiam, surgenśq; vnus ex eis nomine
Act.21. Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe, quę accidit sub Claudio Cæsare. Discipuli autem
1.cor.16 prout cuique suppetebat, proposuerunt in
2.col.8 & 9. subsidium mittere habitantib⁹ in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manum Barnabæ ac Sauli.
Act.12.

Euangelium. Ioan.xv.

Ioan.13 1.Ioã.3. DIxit Iesus discipulis suis: Hoc est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis, si
Mat.12 feceritis quæcunq; ego præcipio vobis. Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo,
Eph.1. nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & constitui uos, ut eatis & fructũ
Col.2. afferatis, & fructus vester maneat: ut quicquid petieritis patrẽ nomine meo, det vobis.

Die Ioannis Baptistæ.

Collecta.

Collecta.

OMnipotens Deus, cuius prouidẽtia prẽcursor Ioãnes Baptista mira culoſe natꝰ eſt, & miſſus vt prẽpararet viam filio tuo prędicatione pœnitentię: fac nos eius doctrinã & ſanctam vitã ita imitari, vt agamus veram pœnitentiam iuxta ipſius doctrinam, & exemplo eius conſtanter fateamur veritatem, & libere crimina reprẽhendamus, ac patienter pro confeſſione ueritatis mortem perferamus acerbam. Per eundem Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, &c.

Lectio. Eſaiæ. xl.

COnſolamini conſolamini populę meus, dicit Deꝰ ueſter. Loquimini ad cor Hieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Vox clamantis in deſerto: Parate uiam domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in uias planas. Et reuelabitur gloria domini, & uidebit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt. Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.

Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3. Ioan. 1.

Eccl. 14 Iac. 1. 1. pet. 1.

Eccl.14 Iac.1. 1.pet.1. Ioan.12 Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus: exiccatũ est fœnum, & cecidit flos: uerbum autem dnĩ nostri manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu qui euãgelizas Sion: exalta in fortitudine uocem tuam, qui euangelizas Hierusalem. Exalta, noli timere. Dic ciuitatitibus Iudæ: Ecce Deus vester: ecce dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce, mer-
Eze.34 & 34. Ioan.10 ces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor, gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit: fœtas ipse portabit.

Euangelim. Luce i.

Elizabetæ uerò impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quòd magnificè Dominus misericordia sua vsus esset erga illam, & gratulabantur ei. Et factum est in die octauo, uenerunt ad circumcidendũ puerum, & uocabant eum nomine patris sui, Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Nemo est in cognatione tua, qui vocetur isto nomine. Innuebant autem patri eius, quid uellet vocari eum. Is q; postulatis tabellis scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius.

Et

Et admirati ſunt vniuerſi. Apertum eſt autẽ os eius ſilico, & lingua eius loquebatur laudans Deum. Et peruaſit timor omnes uicinos eorum, & per omnem montanam regionem Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quídnam puer hic erit? Et manꝰ domini erat cum illo: Et Zacharias pater eius repletus eſt ſpiritu ſancto, prophetauitq́, dicens: Laudandus dominus Deus Iſrael, quia uiſitauit & fecit redemptionem populo ſuo. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui: Sicut loquutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt prophetarum ſuorum: Fore vt ſeruaremur ab inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderũt nos: Vt vteretur miſericordia erga patres noſtros, ac memor eſſet teſtamenti ſui ſancti. Præſtaretq́ iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, ac daret nobis. Vt ſine timore, de manu inimicorũ noſtrorum liberati, ſeruiremus ipſi: Cũ ſanctitate & iuſtitia corã ipſo, cũctis diebꝰ uitæ noſtrę. Et tu puer, propheta Altiſſimi uocaberis, præibis enim ante faciem Domini, ad parandum uias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis populo ipſius, per remiſſionem peccatorum eius. Per uiſcera miſericordię Dei nri, quibus viſitauit nos oriẽs ex alto:

Pſal. 131

Gen. 22

Eſa. 38.

Heb. 9.

Vt illuceſceret his qui in tenebris & umbra mortis ſedebãt, ad dirigendos pedes noſtros in uiam pacis. Puer autem creſcebat & corroborabatur ſpiritu, & erat in deſertis donec ueniret dies, quo oſtendendus erat apud Iſraelitas.

Die Sancti Petri apoſt.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum beato Petro Apoſtolo excellentia dona contuliſti, & ut gregem tuum diligenter paſceret tertiò prece piſti, præſta quæſumus, ut omnes Epiſcopi & Paſtores diligenter doceant Euangelium, & ut populus doctrinæ ſit obſequens, quatenus uitam conſequatur æternam. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola. Act. xij.

EOdem autem tempore iniecit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de eccleſia. Occîdit autem Iacôbum fratrem Ioãnis, gladio: uidens autem quòd gratum eſſet Iudæis, perrexit comprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm etiam apprehendiſſet, poſuit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum aſſeruandum: uolens poſt Paſcha producere eum populo.

Mat. 4. 17. 20. 26.

populo. Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Cæterùm precatio fiebat ſine ītermiſſione ab eccleſia ad Deum pro eo. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte dormiebat Petrus inter duos milites, uinctꝰ catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini adſtitit, & lumen reſulſit in habitaculo, per cuſſoꝝ latere Petri, excitauit eū, dicens: Surge uelociter. Et ceciderunt catenæ de manibꝰ eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcinge re, & ſúbliga ſoleas tuas. Et fecit ſic. Et dicit illi: Circunda tibi ueſtimentum tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quòd uerum eſſet quod fiebat per angelum, ſed putabat ſe uiſum uidere. Cùm autem prꝛeteriſſent primam ac ſecundam cuſtodiam, uenerunt ad portam ferream, quꝛ ducit in ciuitatem, quæ ultrò aperta eſt eis. Et exeuntes, proceſſerunt uicum unum, & continuò diſceſſit angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio uerè, quòd miſerit Dominus angelum ſuū, & eripuit me è manu Herodis, & ex omni expectatione plebis Iudæorum. Act.4. Act.5 & 16. Gen.28 Dan.9.

Euangelium. Mat.xvi.

CVm ueniſſet autem IESVS in partes Cæſareæ eius, quæ cognominatur Philippi, interrogauit diſcipulos ſuos, dicēs: Quem me dicunt homines eſſe, filium illum hominis? Mar.8 Luc.9.

hominis? Illi verò dicebant: Alij quidem Ioannem Baptistam, alij verò Heliam, alij verò Hieremiam, aut unum de numero prophetarum. Dicit illis: At vos quem me dicitis esse? Respondens autem Simon Petrus
Ioan.6. dixit: Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Et respondens Iesus, dixit illi: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. At ego vicissim tibi dico, quòd tu es Petrus,
1.cor.10 & super hanc petram ædificabo meam eccle-
Esa.18. siam, & portæ inferorum non valebunt ad-
Mat.18 uersus illam. Et dabo tibi claues regni cælo-
Ioan.20 rum: Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis.

Die Sancti Iacobi apostoli.

Collecta.

MIsericors Deus, concede, ut sicut sanctus Iacobus Apostolus tuus, relicto patre & omnibus quę habebat, continuo obediens fuit vocationi filij tui, & eum est sequutus: Ita nos relictis omnibus mundanis & carnalibus affectibus, semper pareamus mandatis tuis. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Epistola. Act. xi. & xij.

IN his autem diebus superuenerunt ab vr-

bę

be Hieroſolymorum prophetę Antiochiam, ſurgensq; unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum, famem magnam futurā in toto terrarum orbe, quæ accidit ſub Claudio Cęſare. Diſcipuli autem prout cuiq; ſuppetebat, propoſuerunt in ſubſidium mittere habitantibus in Iudęa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manū Barnabæ ac Sauli. Act.21. 1.cor.16 2.cor.8 &.9.

Eodem autem tempore iniecit Herodes rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occîdit autem Iacôbū fratrem Ioannis, gladio: uidens autem quòd gratum eſſet Iudæis, perrexit comprehendere & Petrum. Act.12 Mat.4. 17.20. &.26.

Euangelium. Matth.xx.

TVnc acceſsit ad Ieſum mater filiorū Zebedæi cum filijs ſuis adorans, & petens aliquid ab eo. At ille dicit ei: Quid uis? Ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petitis. Poteſtis bibere poculum, quod ego bibiturus ſum? & baptiſmate quo ego baptizor, baptizari? Dicunt ei: Poſſumus. Ait illis: Poculum quidem meum bibetis, & baptiſmate quo ego baptizor, baptizabimini: ſedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram meam, non eſt meum dare, ſed ijs con- Mat 10

ti nget, quibus paratū est à patre meo. Et cùm audissent decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem uocauit eos ad se & ait:
Mar. 9. & 10. Luc. 19. & 22. Scitis, quod principes gentium dominentur illis: & qui magni sunt, potestatem exerceāt in eas. Non ita erit inter uos, sed quicunque uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus. Sicut filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret: utq; daret animam suam, redemptionem pro multis.

Die S. Bartholomæi apostol. i

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti apostolo tuo Bartholomęo, ut crederet Euangelio, illúdque doceret, da quæsumus ecclesiæ tuæ & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Actor. v.

Mat. 16 PEr manus autem apostolorum, ædebantur signa ac prodigia multa in populo. Et erāt
Act. 2. 3. & 4. 3. Re. 6 unanimiter omnes, in porticu Solomonis.
Ioan. 10 Cęterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis

gis autem accrescepat credentium Domino multitudo uiorum simul ac mulierum, ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabâtis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem illorum. Mat.4 8.&.15. Conueniebat autem & multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam, afferens ægros ac uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes.

Euangelium. Luc.xxij.

FActa est autē & cōtentio inter discipulos, quis eorū uideretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior: & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? nónne qui accūbit? At ego in medio uestrum sum, ut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus. Et ego dispono uobis, sicut dispositit mihi pater meus regnum: ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Mat.20 Mar.9. & 18. Luc.9. 1.Pet.5 Luc.12. Mat.19 Apo.3.

Die S. Matthæi Apostoli.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per filium tuum uocasti beatum Matthęum ut ex publicano Apostolus fieret & Euangelista, da nobis gratiam, ut studium pecuniæ & opum amorem inordinatum, relinquamus, & sequamur filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum uiuit & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.

Epistola. ij. Cor. iij.

PRopterea cùm ministerium hoc habeamus, ut nostri misertus est Deus, haud degeneramus: sed reiecimus occultamenta dedecoris, non uersantes per astutiam, neque dolo tractantes uerbum Dei: sed manifestatione ueritatis, commendantes nosipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei. Quòd si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereũt uelatum est. In quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Euãgelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum: nos autem seruos uestros propter Iesum. Quoniam Deus est, qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi.

Esa. 6. Ioan. 12. Colo. 1. Phil. 2. Heb. 1. Gen. 1. 2. pet. 1.

Euange-

Euangelium. Matt.ix.

ET præteriens Iesus illinc, uidit hominem desidentem ad telonium, Matthæum nomine, dixitq; ei: Sequere me. Atque is surgens, sequutus est eum. Et factum est, ut Iesus accũberet in illius ædibus: & ecce multi publicani & peccatores, qui uenerant, simul accubuerunt cum Iesu & discipulis illius. Cumq; id uidissent Pharisęi, dixerunt discipulis eius: Cur cum publicanis & peccatoribus sumit cibũ præceptor uester? At Iesus ubi audiuit, dixit illis: Nõ opus habent hi qui ualidi sunt, medico, sed qui male habent. Quin potius ite & discite quid sit illud: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Non enim ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Mat. 2. Luce. 5 & 15. Ose. 6. Mat. 12. 1. tim. 1

Die Michaelis & omnium Angelorum.

Collecta.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumq; dispensas, concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra uita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum.

Epistola. Apo.xij.

ET factum est prælium magnum in cælo: Michael & angeli eius pręliabantur cum dracone: & draco pugnabat & angeli eius, & non ualuerunt: neque locus inuentus est eorum amplius in cęlo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui uocabatur diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem: & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo proiecti sunt. Et audiui uocem magnam dicentem: In cęlo nunc facta est salus & uirtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte: & ipsi uicerũt eum propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonij sui: & non dilexerunt animam suam usque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ habitatoribus terrę & maris, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnã, sciens quòd modicum tempus habet.

Esa.14 Luc.10

Euangelium, Matt.xviij.

IN illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis maximus est in regno cælorum? Et accersitum ad se puerum Iesus, statuit in medio illorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini

Mar.9. Luc.9.

ciamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cælorum. Quiſquis igitur demiſerit ſemetipſum, ſicut eſt puer iſte, hic eſt ille maximus in regno cælorum. Et qui receperit unū puellum talem in nomine meo, me recipit. Qui autem offenderit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris. Væ mundo ab offendiculis. Neceſſe eſt enim ut ueniant offendicula: veruntamenuæ homini, per quem offendiculum uenit. Quòd ſi manus tua uel pes tuus obſtaculo eſt tibi, abſcide eum, & proïce abs te. Bonum eſt tibi ad uitam ingredi claudum aut mutilum, potiùs quàm duas manus uel duos pedes habentem, mitti in igem æternum. Et ſi oculus tuus offendit te, erue eum, & proïce abs te. Bonum eſt tibi, ut luſcus intres in uitam, potius quàm ut duos oculos habens, mittaris in gehennā ignis. Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis. Dico enim uobis, quòd angeli eorum in cælis, ſemper uident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. 1.Pet.2 Mar.9. Luc.17 1.cor.11 Mat.5. Mar.9.

Die Sancti Lucæ Euang.

Collecta.

Omni-

OMnipotens Deus, qui Lucam medicum, cuius laus est in Euangelio, ut animarum quoque curam susciperet ad te uocasti, præsta quęsumus, ut salubribus eius doctrinæ medicinis, omnes animarum nostrarum morbi sanentur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. ij. Tim. iiij.

AT tu uigila in omnibus, obdura in afflictionibus: opus perage Euangelistæ, ministerium tuum ad plenum probatum redi-
2. Pet. 1. dito. Nam ipse iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidē seruaui: quod
1. cor. 9. supereſt, reposita est mihi iustitiæ corona,
1. Pet. 5 quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius.
Col. 4. Da operam, ut uenias ad me citò: nam De-
Phil. 1. mas me dereliquit, amplexus præsens seculū, & profectus est Thessalonicam. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam: Lucas me-
Colo. 1. cum est solus. Marcum assumptum adducito unà tecum: est enim mihi perutilis ad ministerium. Porrò Tychicum misi Ephesum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpū, cùm uenies, apporta, & libros, maximè autem

tem membranas. Alexander, faber ærarius, multis malis me affecit, reddat illi Dominus iuxta facta ipsius: quem & tu caue. Vehementer enim restitit sermonibus nostris. 1. tim. 1

Euangelium. Luc. x.

POst hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta, misitq; illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse uēturus: dicebat ergo illis: Messis quidem multa, sed operarij pauci. Rogate ergo dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum neque peram, neque calciamenta: & neminē per uiam salutaueritis. In quancunq; domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra: sin minus, ad uos reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quę dantur ab illis. Dignus est enim operarius mercede sua. Mat. 9. Mat 10 Mat. 10 Mar. 6. Luce. 9

Die Simonis & Iudæ apost.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui ecclesiam super fundamento prophetarum & Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Iesu ædi-

ficasti, da nobis ut per eorum doctrinam in unitate spiritus coniungamur, ut simus tibi semper templum acceptabile: Per eundem Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola. Iudæ. i.

IVdas Iesu Christi seruus, frater Iacôbi, ijs qui in Deo patre sctificati sunt, quiq; Iesu Christo seruati sunt, uocatis: Misericordia uobis, & pax, & charitas multiplicetur. Dilecti, tantum mihi studium fuit scribendi ad uos, de communi salute, ut non potuerim non scribere uobis, obsecrans, vt uestris laboribus adiumento sitis fidei, quæ
1. Pet. 2 semel data est sanctis. Obiter enim subierunt quidam homines impij, qui prius descripti fuerant in hoc iudicium, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciuiam, ac Deum qui solus est herus, ac dominum nostrum Iesum Christum, negant. Volo autem uos commonefacere, cùm sciatis semel illud, quòd Dominus, postea quàm populum ex Aegypto saNu. 14. luum eduxerat, rursus eos qui non credebant,
Esa. 14 perdidit: quodq; Angelos, qui non seruauerant suam originem, sed reliquerant suum domicilium, ad iudicium magni illius diei uinculis æternis sub caligine seruauit. Sicut So-
Gen. 19 doma & Gomorrha, & his finitimæ ciuita-

tes,

tes, quæ ad consimilem modum cum illis stupris inquinatæ fuerant, ac sequutæ fuerant carnem alienam, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter sanè & hi delusi insomnijs, carnem quidē polluunt, dominos uerò spernunt, in potestate præditos, maledicta congerunt.

Euangelium. Ioannis. xv.

HOc est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæcunque ego præcipio uobis. Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & constitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat: ut quicquid petieritis patrem nomine meo, det uobis. Hæc præcipio uobis, ut diligatis uos mutuò. Si mundus uos odit, scitis quòd me prius quàm uos odio habuerit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est, diligeret. Quia uerò de mundo non estis, sed ego selegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Mementote sermonis, quē ego dixi uobis: Non est seruus maior domino suo. Si me per-

Ioan. 15. 1. Ioa 3. Mat. 12 Eph. 1. Colo. 2 Mar.

perſequuti ſunt, & uos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & ueſtrum ſeruabunt. Sed hæc omnia facient uobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui miſit me. Si non ueniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autẽ non habent quod prętexant peccato ſuo. Qui me odit, is & patrem meum odit. Si opera non feciſſem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt, nun ſolùm me, uerumetiam patrem meum. Sed hoc accidit, ut compleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Odio habuerunt me gratis. Cùm autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, ſpiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Quin & uos teſtes eſtis, quia ab initio mecum eſtis.

Ioan. 16

Ioan. 9. & 10.

Pſal. 34 & 68. Ioan. 14 & 16. Act. 2.

Die omnium Sanctorum.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui coniunxiſti electos tuos in una communione & ſocietate myſtici corporis filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti, da ut ſanctos tuos in omnibus virtutibus & bonis operibus imitemur, ut ad ineffabile gaudium quod præparaſti ijs, qui uere te diligunt per-

perueniamus. Per Iesum Christum Dominū nostrum. Epistola. Apo.vij.

ECce ego Ioannes vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei uiui, & clamauit uoce magna, quatuor Angelis quibus datū est nocere terterræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri, in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor milia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda, duodecim milia signati. Ex tribu Ruben, duodecim milia signati. Ex tribu Gad, duodecim milia signati. Ex tribu Aser, duodecim milia signati. Ex tribu Neptalim, duodecim milia signati. Ex tribu Manasse, duodecim milia signati. Ex tribu Simeon, duodecim milia signati. Ex tribu Leui, duodecim milia signati. Ex tribu Isachar, duodecim milia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim milia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim milia signati. Ex tribu Beniamin, duodecim milia signati. Post hæc uidi, & ecce turba multa, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentius, & populis, & tribub⁹ & lingnis, stantes ante thronū, & in cōspectu agni, amicti stolis

Apo.9.

Eccl.2.

albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant uoce magna, dicentes: Salus ei, qui ſedet ſuper thronum Dei noſtri, & agno. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni & ſenioru̅ & quatuor animalium, & procubuerunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerū̅t Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarumactio, honor & uirtus, & fortitudo Deo noſtro, in ſecula ſeculorum. Amen.

Euangelium. Matth. v.

CVm autem vidiſſet Ieſus turbas, aſcendit in montem: & quum conſediſſet, acceſſerunt ad illum diſcipuli eius: & poſtquam aperuiſſet os ſuum, docebat illos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam illorum eſt regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipiē̅t. Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Beati pacifici, quoniam ꝯ filiꝯ Dei uocabuntur. Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cęlorum.

Luc. 6.
Eſa. 61. & 66.
Iere. 31.

rum. Beati eſtis, cùm probra iecerint in 1.Pe.4.
uos & inſectati fuerint, & dixerint om-
ne malum uerbum aduerſus uos mentientes,
propter me. Gaudete & exultate, quoniam Act.5.
merces ueſtra multa eſt in cælis.
Sic enim perſequuti fuerunt
prophetas, qui fuerunt
ante uos.

Finis Collectarum, Epiſtolarum, & Euangelio-
rum totius Annu.

Ordo administrandi Coenam Domini, siue Sacram Communionem.

QVotquot cupiunt participes fieri sacræ Cõmunionis, indicabunt nomina sua Pastori, pridie aut mane, priusquam inchoentur Matutinæ, uel immediatè post principium matutinarum precum.

Si quis autem eorum fuerit manifestè criminosus, ita vt Ecclesia per eum sit offensa, uel affecit proximum notoria iniuria, uerbis aut facto, Pastor uocabit eum, & cõmonefaciet, ne ullo modo audeat accedere ad mensam Domini, donec præbuerit clara indicia suæ resipiscentiæ, & satisfecerit Ecclesiæ, ac illis quos affecit iniuria: uel ad minimum, promittat se illis satisfacturum, quam primum commode fieri potest.

Eodem ordine, admonebit pastor eos, inter quos intelligit esse simultates ac odia, nec permittet eos communicare mensæ Domini, donec certior redditus fuerit de eorum reconsiliatione. Quod si altera pars dixerit se velle ex animo alteri ignoscere, & ei etiam satisfacere, & altera noluerit accipere satisfactionem, aut deponere iram & odium, Pastor admittet pœnitentem, ablegato pertinace.

Mensa Dominicæ Cœnæ, operietur mundo panno lineo: ad cuius mensæ septentrionalem partem minister stans, orabit Precationem Dominicam, in hũc modũ:

PAter noster qui es. & c.

cum Collecta sequente.

OMNIPOTENS DEus, cui omne cor patet, & cui omnes affectus animorum cogniti sunt, & quem nihil latet, purifica cogitationes cordium nostrorū, ut per inspirationem sancti Spiritus te ex animo amemus, & debita veneratione celebremus nomen tuum sanctum, Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Tunc recitabit sacerdos clarè Decem precepta: & universus populus post singula mandata, genibus flexis, misericordiam Dei implorabit, pro uiolatione illorum, in hunc qui sequitur modum.

Minister.

DEus hæc uerba ad hunc modum effatus est. Ego sum Dominus Deus tuus. Deos nullos alios habebis præter me. Exo.20 Deu.5.

Populus.

DOmine miserere nostri, & dirige corda nostra ad seruandam hanc legem.

Minister.

Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem ullius rei quę est supra in cælo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra: non adorabis ea nec coles. Ego enim Deus tuus fortis,

tis, zelotes sum, uisitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia, hijs qui diligunt & custodiunt præcepta mea.

Populus.

Domine miserere nostri, &c.

Minister,

Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum: non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

Populus.

Domine miserere nostri &c.

Minister.

Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbatum Dñi Dei tui est. nullum in eo facies opus, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare, & omnia quę in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eum.

Populus.

Domine miserere nostri. &c.

Minister.

Honora patrẽ tuũ & matrẽ tuã, ut sis longę

uus

uus ſuper terrã, quam Dñs deꝰ tuꝰ dabit tibi.

Populus.

Domine miſerere noſtri, &c.

Miniſter.

Non occides.

Populus.

Domine miſerere noſtri. &c.

Miniſter.

Non committes adulterium.

Populus.

Domine miſerere nri. &c.

Miniſter.

Non furtum facies.

Populus.

Domine miſerere noſtri. &c.

Miniſter.

Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Populus.

Domine miſerere no. &c.

Miniſter.

Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nihil denique quod ſit alterius. Populus.

Domine miſerere noſtri, & quęſumus has omnes leges in cordibus noſtris inſcribas.

Tunc per miniſtrũ, ſtantem ad ſacrã Menſam, legetur Collecta ſiue oratio diei aſſignata, una cum altera duarũ Collectarum ſequentium, pro fœlici ſtatu Reginæ.

OMnipotens Deus, cuius regnum est æternum,& potentia infinita,miserere uniuersæ Ecclesiæ, & sic dirige cor electæ famulæ Elizabethæ Reginæ nostræ; ut cognoscat se esse famulam tuam,& ante omnia quęrat gloriam & honorem tuum: & ut nos ei subiecti agnoscentes ut decet, eam à te habere imperium, fideliter ei seruiamus, eam honoremus,& obsequamur ipsi cum omni submissione, in te, & propter te, iuxta præceptum & ordinationem tuam. Per Iesum Christum filiū tuū, Dominū nr̄m qui tecum. &c.

Alia Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu docemur ex uerbo tuo,corda regum esse, qui es humilium consolator, & fidelium fortitudo,ac protector in te sperantium, da Reginæ nostrę Elizabethæ, vt super omnia & in omnibus te honoret & amet, & studeat seruare populo sibi commisso,pacem, cum omni pietate. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Post has Collectas, sacerdos,seu quis alius minister ad id deputatus,legat Epistolam,in loco ad id assignato, & sic incipiat.

Epistola Sancti N. Apostoli,scripta ad N. capite. &c.

Epistola finita, legatur Euangelium.

Euangelium Sancti N.scriptum cap.N.&c.

Post

Post Euangelium, sequetur Symbolum.

CRedo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, uisibiliũ omnium & inuisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitũ, & ex Patre natum ante omnia sęcula. Deum de Deo, Lumen de Lumine: Deum uerum de Deo uero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines & propter nostrã salutem, descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria uirgine & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum uenturus est cum gloria, iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & uiuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicã Ecclesiam. Confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & uitam uenturi sæculi. Amen.

Post Symbolum sequatur Concio, siue legatur una Homiliarum, uulgari lingua.

Finita Homilia aut Sermone ad populum. Pastor indicabit festos ac iciunos dies, si qui fuerint, sequenti septimana.

Inprimisq; hortabitur, ut pauperum meminerint, & eorum inopiam subleuent. Deinde cantentur uel recitentur una uel plures ex sententijs sequentibus.

Mat. 5. SIc luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est.

Mat. 6. Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt & furantur, sed recondite uobis thesauros in cælo, ubi neq; erugo neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, neque furantur.

Mat. 7. Quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Hæc enim est lex & Prophetæ.

Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit uoluntatem Patris mei qui in cælis est.

Luc. 19. Zachæus stans, dicebat ad Dominum. Ecce dimidium bonorum meorū Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

1. cor. 9 Quis militat suis stipendijs unq̃? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Aut quis

quis pascit gregẽ, & de lacte gregis non edit?

Si nos uobis spiritualia seminauim⁹, magnũ est si nos uestra carnalia messuerimus? 1.cor.9

An nescitis quod ꝛ̃ qui in sacris operantur, ex sacrificijs uiuant? Qui sacrario assistunt, unà cum sacrario partẽ accipiunt? Sic & Dominus ordinauit, vt qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uiuant. 1.cor. 9

Qui sementem facit parce, is parce messurus est. Et qui sementem facit libenter ac benigne largiendo, copiosè messurus est, unusquisque secundum propositum cordis, non ex molestia aut necessitate: nam hilarem datorem diligit Deus. 2.cor. 9

Communicet qui catechizatur sermone, ei qui se catechizat, omnibus bonis. Ne erretis, Deus non irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Galat.6

Cum tempus habemus, operemur bonum erga oẽs, maxime autem ad domesticos fidei. 1Tim.6

Est autem quæstus magnus, pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam possumus. 1.Tim.6

Præcipe hijs qui diuites sunt, vt prompti sint ad largiendum & distribuendum, thesaurizantes sibi ipsis thesau rum, fundamentum bonum in posterum, ut a pprehendant æternam Tim.6

nam uitam.

Heb.6. Non est Deus iniustus, ut obliuiscatur operis uestri, & laboris ex charitate suscepti, quam exhibuistis erga nomen illius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

Heb.13. Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci: talibus enim uictimis placetur Deo.

1.Ioa.3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suũ egêre, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo?

Tob.4. Fac eleemosynam ex substantia tua, & noli auertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies Domini.

Tob.4. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri studе. Præmiũ enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.

Pro.13. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & uicissitudinem suam reddet ei.

Psal.41. Beatus uir qui intelligit super egenum & pauperẽ, in die mala liberabit eum Dominꝰ.

Interea ædiles seu alij, quibus illud munus assignabitur, colligẽt oblatam à populo eleemosynam, & in cistam ad pauperum usum reponent. Singuli item consuetas oblationes & decimas, suo tempore Pastori persoluent.

Post hæc minister dicet,

Oremus pro statu uniuersalis Ecclesiæ, hic

in

in terra militantis.

OMnipotens ęterne Deus, qui per Apostolum tuum iubes facere orationes, obsecrationes, depreeatiões, & gratiarũ actiones pro oĩbus hominibus, humiliter te petimus, ut clemẽter accipias [hęc munera, atq;] has preces nostras, quas offerimus diuinæ maiestati tuæ, supplicantes, vt perpetuò inspires & conserues uniuersæ Ecclesiæ spiritum ueritatis & concordiæ: præsta etiam, ut omnes qui confitentur nomen tuum sanctum, consentiant in fide, & uera doctrina Euangelij, & uiuant inter se concordes in charitate. In primis autem te oramus, vt serues & defendas famulam tuam Elizabetham Reginam nostram, ut sub ipsa quietam uitam degamus cum omni pietate & honestate. Da suis consiliarijs & uniuersis qui magistratum gerunt, vt sine personarum acceptione administrent iustitiam, qua uitia & nequitiæ puniantur & corrigantur: pietas, religio, & virtus crescant, & afficiantur dignis præmijs. Da gratiam, cœlestis pater, omnibus Episcopis, pastoribus, & his qui curam gerunt animarum, ut tam uita quàm doctrina ornent ministerium Euangelij, & administrent sacramenta, iuxta institutionem filij tui. Tribue uniuerso populo gratiam tuam, ut humili ani-

1. Ti. 2.

Si nulla largiatur eleemosyna omittitur (hęc munera atq;)

mo, & qua decet reuerentia, audiant & accipiant sanctum uerbum tuum, & tibi seruiant in sanctitate & iustitia, omnibus diebus uitę. Submissè etiam te petimus, propter bonitatem tuam Domine, ut consoleris & succurras omnibus qui sunt in angustijs, doloribus, infirmitatibus, uel alijs aduersitatibus constituti. Hęc nobis largire ô pater, propter Iesum Christum Mediatorem nostrum vnicũ & Aduocatum. Amen.

Tunc sequetur hæc exhortatio, certis temporibus, quando presbyter uidebit populum negligenter accedere ad sacram Communionem.

COnuenimus hodie dilectissimi fratres, ad alendum nos pastu cœnæ dominicę, ad quam iubeo uos omnes, qui saltem hic adestis, & item obsecro in Dño Iesu Christo, ut non uelitis recusare accedere, pręsertim tam amanter à Domino ipso uocati ac inuitati. Scitis quàm grauiter & iniquo animo ferri solet, cum quis apparauit opiparum conuiuium, & mensam conquisitissimis epulis instruxit, adeò vt nihil desit, nisi vt conuiuæ accumbant, si ij qui uocantur, temerè & ingratè recusent accedere. Quis è uobis, si secum eo pacto ageretur, non succenseret? Quis nõ opinaretur immensam fieri sibi iniuriam? Quamobrem dilectissimi in Christo Iesu, cauete

uete, ne ſubterducentes uos ab hac ſacratiſſima cœna, iram Dei in uos deuocetis. Facile dici poteſt abs quouis homine, Nolo cõmunicare, quoniam ſecus ſum impeditus mundanis negotijs: uerum huiuſmodi excuſationes, non tam facile recipiuntur, & probantur coram Domino. Si quiſquã dixerit, Sum grauis peccator, & ideò non auſim accedere. cur quæſo non corrigit ſeipſe? cur non reſipiſcit? Cum Dominus uocat, an nõ turpe eſſe ducitis reſpondere: Nolumus accedere? Quando conuerteremini ad Dominum, excuſabitis uos & dicetis, Non ſumus parati? Reputate diligenter apud uos, quam non ualebunt eiuſmodi fictæ & ſimulatæ cauſationes coram Domino. Qui reſpuerant conuiuium in Euangelio, quia emerant uillam, uel quia uellent experiri boues quos comparauerant, uel quia contraxerant matrimonium, non excuſabantur, ſed habebantur cœleſti illo epulo indigni. Ego hic adſum, ac pro meo officio inuito uos in Dño, exhortor in Chriſto Ieſu, ſi veſtram ipſorum redemptionem amplecti libeat, ut ſitis participes huius religioſiſſimæ communionis. Et quemadmodum filius Dei, non dedignabatur morte animam profundere in ara crucis pro ſalute ueſtra, ſic ueſtrum eſt, unà participes eſſe Cõmunio- Luc. 1.

nis, in recordationem mortis illius, prout ipse præcepit. Iam si recusare hanc cœnam, certum est uobis, saltem perpendite & reputate quàm immensam iniuriam facitis Deo omnipotenti, & quam graue supplicium imminet ceruicibus uestris, ob cœnæ contemptionem. Et quoniam tam grauiter Dominum offenditis, uel ipsa sacrati epuli recusatione, admoneo, hortor ac obsecro uos, ut ad hanc ingratitudinem, aliud scelus non adiungatis: quod quidem fiet, si astiteritis tanquam spectatores, & admiratores illorum qui communicant, cum sitis interim ipsi exortes. Quid etenim aliud duci poterit hoc, præterquam accumulata quędam & amplificata contemptio & ingratitudo aduersus Deum? Equidem magnæ ingratitudinis est, denegare cum accerseris, multo uerò maioris est cum astas, interim nec edendo nec bibendo, degustare ex hac sacrosancta communione cum cæteris. Quæso an non meritò duci poterit hæc acerba mysteriorum Christi Domini illusio? Sermo est latè patens, & ad omnes pertinens, Accipite & manducate, Accipite & bibite ex hoc omnes, Hoc facite in mei recordationem. Quo ore, imò quo uultu audietis hæc uerba? An non est hæc neglectio, contemptio, & irrisio testamenti Dominici? Quamobrem, po-

tius

tius quàm hoc admittatis, discedite hinc, & date locum ijs, qui piè sunt affecti. Verum inter discedendum, precor à uobis, ut iterum atq; iterum cogitetis, abs quo discedatis. Discedatis à mensa Domini, & ab epulo cælestis pabuli. Has res si diligenter perpenderitis, ad meliorem & saniorem uitam (Deo bene iuuãte) conuertemini. Quam rem ut consequamini, supplices preces immortali Deo, in hac participatione sacræ mensę, fundemus.

Aliquando etiam dicetur hoc, pro arbitratu presbyteri.

DIlectissimi, quandoquidem nostrum est ex animo reddere omnipotẽti Deo, cœlesti patri nostro, gratias, quia dedit filium suum seruatorem nostrum Iesum Christum, nõ solum ut moreretur pro nobis, uerum etiam ut esset nostrum spirituale pabulum & alimẽtum, quemadmodum proditum est nobis, cũ uerbo diuino, tum sacramentis corporis & sanguinis sui, tam salutaribus ijs qui dignè recipiunt, & tam tremendis è contra ijs qui recipiunt indignè: meum est exhortari uos, ut diligenter trutinetis amplitudinem & dignitatem huius sancti mysterij, & ingens periculum indigne receptionis eius, & non secus descendere in uos & explorare conscientias uestras, quàm si deberetis, sancti ac impolluti adire diuinissimum & cœleste epu-

lum, sic ut nullo modo adire liceat uobis, de
stitutis uestæ illa nuptiali, quam Dominu
Mat.22 poscit in sacra scriptura, dummodo recipi ue
litis ut digni conuiuę huiusmodi cælestis mẽ
sæ. Ratio autem & uia ad hanc rem, hæc est
quam subdo.

Primùm oportet explorare uitam & mo
res uestros ad normam mandatorum Dei, &
cuicunque intelligetis uos neutiquam satisfe
cisse, uoluntate, dicto, uel opere, in eo geme
re & deplorare impiam uestram uitam, con
fitentes uos omnipotenti Deo, cum firmo &
constanti proposito resipiscendi, & non re
labendi æquè turpiter.

Quod si deprehenderitis uestra inique fa
cta eius farinæ esse, ut non solum in Deum,
sed in proximos etiam commissa sint, tum il
lis quidem conciliabitis uosipsi, parati ad sa
tisfaciendum pro uirili, in omnes iniurias
& iniustitias, illis per uos illatas: nec minus
parati ad condonandum omnibus in uos ini
què patratis, similiter ac ueniam erratorum
consequi uelletis ipsi à Domino. Nam absque
hoc sit, receptio huius sacræ Communionis,
non solum non conducit, sed adauget potiùs
uestram condemnationẽ. Et propterea quod
non est fas quenquam accedere ad hæc myste
ria, nisi solida spe & fiducia misericordiæ

diuinæ,

diuinæ, & ſedata ac tranquilla conſcientia eò incitatum: idcirco, ſi quiſquam è uobis ſit, qui ſuperioribus rationibus non poſſit pacare ſuam conſcientiam, uerùm eget ampliore conſolatione, tum me petat, aut aliquem alium conſultum & eruditum miniſtrum uerbi diuini, & nudet uulnus, ut poſſit recipere ſpirituale conſilium, admonitionem, & ſolatium, ut conſcientię leuetur onus, & ut miniſterio uerbi diuini, conſequatur fomentum & beneficium abſolutionis, ad pacificationẽ conſcientiæ, & amotionem omnis ſcrupuli ac hæſitationis.

Tunc Miniſter recitabit hanc exhortationem.

DIlecti in Domino, qui conſtituiſtis communicare corpori & ſanguini Domini noſtri Ieſu Chriſti, neceſſe eſt ut ad memoriam reuocetis, quid ſcripſerit ſanctus Paulus Corinthijs, & quomodo exhortetur eos, ut quilibet ſeipſum probet, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Nam ſicut magnum beneficium eſt ſpiritualiter manducare corpus, & bibere ſanguinem Chriſti, manere in Chriſto, & habere Chriſtum in ſe habitantẽ, ac unum effici cum ipſo, quod contigit illis qui dignè accedunt, id eſt corde contrito & humiliato, cum uera fide ac fiducia certa miſericordię promiſſe per Chriſtum. Ita præſens 1. cor. 11

peri-

periculum est, si indigne accedamus, quia efficimur rei corporis & sanguinis Domini, & ad iudicium & condemnationem manducamus, propterea quòd non discernimus corpus Domini, nec ei debitum habemus honorem. Sed ipsius iram & indignationem nobis accersimus, ac prouocamus eum, ut nos puniat diuersis plagis, morbis, & morte. Quare si quis blasphemus uerbi Dei hostis, adulter, fla grans ira, odio, aut reus alterius criminis sit, is non audeat accedere ad mensam Domini, nisi se ex animo pœniteat, ac omnino constituat emendare uitam, & persuasus sit se esse reconciliatum Deo, fiducia misericordię propter Christum, & redeat in gratiam cum omnibus hominibus. Sed ante defleat peccata sua quàm accedat, ne cum sacrosancto pane, simul intret in eum Satanas, sicut in Iuda proditore, vt eum repleat omni iniquitate, & perducat ad exitium corporis & animę. Quare fratres, uosipsos iudicate, ne à Domino iudicemini: eiçite ex animis studium peccandi, pœniteat uos seriò præteritorum peccatorum, toto pectore confidite seruatori nostro Christo. Diligatis omnes homines ex animo, ita enim efficiemini uerè participes horum mysteriorum. Sed ante omnia necesse est, ut maxima cum humilitate, & ex corde agam⁹ gratias

tias Deo patri, & Filio, & Spiritui sancto, quòd redemit mundum per passionē & mortem seruatoris nostri Iesu Christi, veri Dei & ueri hominis, qui se humiliauit usq; ad mortē, mortem autē crucis, pro nobis miseris peccatoribus, habitantibus in tenebris & umbra mortis, ut nos efficeret filios Dei, & hæredes uitæ æternæ. Ad hunc enim finem institutum est sacramentum, ut semper memores essemus infiniti amoris, magistri & unici mediatoris nostri Iesu Christi, & innumerabilium beneficiorum, quæ per effusionem præcioſi sui sanguinis nobis obtinuit, & reliquit in his sacris misteriis, quasi pignus amoris & perpetuum monumentum suum, scilicet proprium corpus & præcioſum sanguinem, ut ex his spiritualiter pascamur, & haberemus æternā consolationem. Ei autem vna cum patre & spiritu sancto agamus gratias, ut meritò debemus, & humiliemus nosmetipsos, ac subijciamus eius sanctissime uoluntati, & studeamus ei obsequi, in uera sanctitate & iustitia, omnibus diebus uitæ nostræ.

Deinde minister alloquetur communicaturos hijs uerbis.

VOs quos serio pœnitet de peccatis uestris coram Deo, & reconciliati estis proximis, ac diligitis omnes homines ex animo, &

constituistis posthac ducere uitam uestram iuxta præcepta Dei, Accedite huc proprius, ut percipiatis Sacramentum ad uestram consolationem, confitemini humiliter peccata uestra Deo & Ecclesiæ hic congregatæ in nomine ipsius.

Tunc fiat hæc generalis confessio, nomine eorũ qui communicaturi sunt, uel per eorum aliquem, uel per unum ex Ministris, aut per ipsum Sacerdotem, omnibus interim genua flectentibus.

OMnipotens Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & iudex uniuersorum mortalium, nos confitemur & deploramus nostra multiplicia peccata, & innumeras iniquitates, quas subinde per omnem uitam contumaciter designauimus, cogitatione, uerbis, facto, contra diuinã Maiestatem tuam, prouocantes iustissimam iram & indignationem tuam aduersus nos: uerè enim ex animo dolemꝰ, & serio nos pœnitet de peccatis nostris: eorum commemoratio est nobis acerbissima, illorum grauitatem ferre non possumus. Miserere nostri misericordissime Pater, propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum. Condona nobis peccata præterita, & benignè cõcede, ut semper post hac seruiamus & placeamus tibi in nouitate uitæ, ad laudem & gloriam

riam nominis tui. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Deinde eriget se Sacerdos, & conuersus ad populum sic loquetur.

DOminus noster Iesus Christus, qui suam potestatem dedit Ecclesiæ, ut absoluat pœnitentes à peccatis ipsorum, & reconciliet cælesti patri eos, qui suam fiduciam collocant in Christum, misereatur uestri, remittat & condonet uobis omnia peccata uestra, confirmet & corroboret uos in omni opere bono, & perducat uos ad uitã æternam. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Sic stans, & ad populum conuersus, dicet.

AVdite, quomodo Christus ad se inuitat peccatores, & eos consoletur uerbis omni cõsolatione plenissimis.

Venite (inqt) ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos requiescere faciam.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eũ, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Audite etiam quid Sanctus Paulus dicat.

Fidelis sermo, & omni obseruatione dignissimus, Christus Iesus uenit in hunc mundum, ut saluos faceret peccatores.

Et beatus Ioannes inquit,

Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Quo finito, Minister cantabit.

SVrsum corda.

Responsio.

Habemus ad Dominum.

Minister.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Responsio.

Dignum & iustum est.

Minister.

Vere dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Dñe sancte, pater omnipotens, æterne Deus.

Sequetur propria præfatio diei, si quæ sit assignata, alioqui statim subiungetur

Ideo cum angelis. &c.

Propriæ Præfationes.

Die natiuitatis & septem diebus sequentibus.

QVia dedisti nobis unicum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem hodierna die pro nobis nasci uoluisti. Et per operationem sancti Spiritus fieri uerum hominem ex uirgine Maria matre sua, sine labe peccati, ut nos ab omni peccato mũdaret. Ideo cum Angelis & Archãgelis, cum thronis, &c.

Die

Die Paschę, & septem diebus sequentibus.

ET te quidem omni tempore, sed in hoc potissimum die gloriosius predicare, cũ Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim est uerè Agnus, qui abstulit peccata mũdi: qui mortem nostram moriendo destruxit, & uitam resurgendo reparauit. Ideóque cum Angelis. &c.

Die Ascensionis, & septem diebus sequentibus:

QVi post gloriosam resurrectionem suam oĩb⁹ discipulis suis manifestus apparuit, & ipsis cernentibus eleuatus est in cælum, ut nobis preparet locum: & ubi ipse esset, istic nos ascendamus, & cum eo regnemus in gloria. Ideo cum Angelis. &c.

Die Pentecostes, & sex diebus sequentibus.

QVi ascendens super omnes cælos, sedénsque ad dexteram tuã, promissum Spiritũ hodierna die in filios adoptionis effudit: qui cum subito & uehementi sonitu de cælo descendit, & super Apostolos in figura linguarum ardentium resedit, ut induceret in omnem ueritatem: contulitq́ donum linguarũ, & fortitudinem confitendi, ac prædicandi Euangelium omni nationi, ut ex tenebris erroris ad ueram lucem & cognitionem tuam, per Iesum Christum, perueniremus. Quapropter profusis gaudijs, totus in orbe terrarum

mundus exultat, sed & supernæ uirtutes atq; Angelicę potestates, hymnum gloriæ tuę cõcinunt, sine fine dicentes. Sanctus. &c.

In festo Trinitatis.

QVi cum unigenito Filio tuo, & Spiritu sancto, unus es Deus, unus es Dominus; Non in unius singularitate personæ, sed cum trinitate personarum, in unitate substantiæ. Quod enim de gloria tua reuelante te credimus, hoc de filio tuo, hoc de Spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus: quem laudant Angeli atq; Archangeli: Cherubin, quoque & Seraphin, qui non cessant clamare iugiter una uoce, dicentes: Sanctus .&c.

Finis omnium Præfationum.

IDeo cum angelis & archangelis, cũ thronis & dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum glorię tuę canimus, sine fine dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus dominꝰ Deus sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus qui uenit in nomine Domini. Osanna in excelsis.

Tunc sacerdos nomine eorum qui communicare uolunt, sic orabit genibus flexis.

NOn accedimus ad hanc mensam tuam, ò misericors Domine, fiducia iustitiæ no-

noſtræ, ſed in multitudine miſerationum tuarum. Neq; enim ſumus digni, ut colligamus micas de menſa tua. Sed tu es idem Domin⁹, cuius ſemper proprium fuit miſereri. Concedè igitur miſericors Domine, ut ſic edamus carnem filij tui, & bibamus eius ſanguinem in his ſacris myſterijs, ut noſtra corpora peccatis inquinata, munda fiant, perceptione ſacratiſsimi corporis ſui, & noſtræ animæ lauentur in præcioſo ſanguine ſuo: vt perpetuò habitemus in eo, & ipſe in nobis.

Amen.

Poſtea Sacerdos erigens ſe, dicet.

O Deus omnipotens, pater noſter cœleſtis, qui ex immenſa tua miſericordia, dediſti nobis unicum filium tuum Ieſum Chriſtum, pro noſtra redemptione mortem in cruce pati, ibíque unica illa oblatione qua ſeſe ſemel obtulit, perfectum, plenum, & ſufficiens ſacrificium, hoſtiam & ſatisfactionem integram faceret pro peccatis totius mundi: quíque inſtituit, ac in ſuo ſacroſancto Euangelio præcepit, perpetuam memoriam præcioſæ ſuæ mortis celebrare, uſque dum rediret. Exaudi nos quæſumus miſericors pater, & concede, ut nos ſumentes has creaturas panis & vini, iuxta ſacroſanctam inſtitutionem Filij tui, Seruatoris

nos-

noſtri Ieſu Chriſti, in memoriam eius diræ mortis & paſsiõis, particípes ſim⁹ ſanctiſſimi corporis & ſanguinis eius. Qui eadem nocte qua tradebatur, accepit panẽ, & gratias agẽs, fregit, ac dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, commedite, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. hoc facite in meam commemorationem. Simili modo, poſtquam cœnatum eſt, accepit calicem, & gratias agens, dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes: hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro uobis & pro multis effunditur, in remiſsionem peccatorum. hoc facite quotiescunq; biberitis, in meam commemorationem.

Tunc miniſter ipſe primo recipiet Euchariſtiam ſub utraque ſpeciæ: proximo loco tradet reliquis Miniſtris, ſi qui adſint, ut eum poſt adiuuent in communicando populo.

Deinde Miniſter tradet Euchariſtiam populo in manus, genibus flexis, & cum exhibet panem, dicet

Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod pro te traditum eſt, conſeruet corpus tuum, & animam tuam in uitam æternam.

Accipe & ede hoc, in memoriã quod Chriſtus mortuus ſit pro te: fide illum ede, in corde tuo, cum gratiarum actione.

Miniſter cum exhibet poculum, dicet.

Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro te

te effusus est, conseruet corpus tuum & animam tuam, in uitam æternam.

Bibe hoc, in memoriam Christi sanguinẽ pro te effusum esse, & gratias age.

Tunc Minister dicet orationem Dominicam, Pater noster. &c. Et populus recitabit post illum singulas petitiones.

Deinde dicetur oratio sequens.

O Domine cęlestis pater, nos humiles serui tui supplices rogamus paternam tuã bonitatem, ut hoc nostrum sacrificium laudis & gratiarum actionis, benignè accipias: humiliter supplicantes, ut propter merita & mortem filij tui Iesu Christi, & per fidem in illius sanguinem, concedas, ut nos cum uniuersa Ecclesia, remissionem peccatorum, cæteraq; beneficia passionis illius consequamur. Atque hic etiam offerimus, & præsentamus tibi Domine, nosipsos, animas nostras, & corpora nostra, hostiam rationalem, sanctã, & uiuam: humiliter obsecrãtes, ut quotquot participes sumus huius sacrosanctæ Communionis, tua gratia & cœlesti benedictione repleamur. Et quanquam indigni sumꝰ, propter multitudinem peccatorum nostrorum, qui tibi ullum sacrificium offeramus, tamen supplicamus, ut acceptam habeas hanc nostram seruitutem, non intuendo nostra meri-

ta, ſed condonando noſtra peccata, Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem, & cum quo, in unitate ſancti Spiritus, ſit tibi omnipotens pater, omnis honor & gloria, in omnem æternitatem. Amen.

Vel iſta oratio.

OMnipotens æterne Deus, immortales tibi ex animo gratias agimus, quòd nos qui hęc ſacroſancta myſteria ritè percepimus, paſcere digneris ſpirituali cibo prætioſiſsimi corporis & ſanguinis filij tui ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, nosq; certos reddis, horum participatione de tuo fauore ac gratia erga nos, & quod ſumus uera membra in corpore tuo myſtico, incorporata, quod eſt ſancta communio omnium fidelium, quodq; hæredes ſumus ſecundum ſpem uitę æternæ, per merita prętioſiſsimę mortis & paſsionis dilectiſsimi filij tui. Nos ergo ſupplices rogamus, ô pater cœleſtis, ita nos tua gratia ſemper adſis, ut in hac ſanctiſsima communione perſeueremus, & omnia huiuſmodi opera bona faciamus, quę tu pręparaſti ut in eis ambulemus, per Ieſum Chriſtum Dñm noſtrum, cui cum Spiritu ſancto, tibi ſit omnis honor & gloria in omnem æternitatem.

Deinde dicatur aut canatur,

GLoria in excelſis Deo. Et in terra pax, ho-

hominib⁹ bonæ uoluntatis. Laudamus te, Bñ dicim⁹ te, Adoram⁹ te, glorificam us te, Gratias agimus tibi, propter magnam g loriam tuã. Dñe Deus rex cœlestis, De⁹ pater omnipotens. Domine fili unigenite, Iesu Christe. Domine Deus agnus dei, filius Patris, Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu sol⁹ Dominus, tu solus altissimus, Iesu Christe. Cum sancto spiritu, in gloria Dei patris, Amen.

Postremo Sacerdos uel Episcopus, si adsit, dimittet eos, hac benedictione,

PAx Dei, quæ superat omnem intellectum, conseruet corda uestra & mentes uestras, in cognitione, & amore Dei, & filij eius Iesu Christi Domini nostri: & fauor omnipotentis Dei, patris, filij, & Spiritus sancti, uobis adsit, semperq; uobiscum maneat.

Sequuntur Collectæ dicendæ post offertorium, quando non adsunt communicantes.

ADesto supplicationibus nostris misericors Deus, & uiam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes hui⁹ uitæ uarietates & casus, tuo semper protegamur auxilio. Per Dominum nostrum Iesum Christum. &c.

DIrigere & sanctificare dignare, Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, hodie corda & corpora nostra, in lege tua, & operibus mandatorum tuorum, ut hic & in æternum, te auxiliante, semper sani corpore, salui animo, esse mereamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

LArgire quæsumus omnipotens Deus, ut tua sacrosancta uerba quæ externis auribus hodie percepimus, ita cordibus nostris per tuam gratiam intus inserantur, ut fructū bonę uitæ semper in nobis proferant, ad laudem & gloriam tui nominis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando pręueni, & adiuuando prosequere, ut cuncta nostra operatio à te semper incipiat, & per te cœpta, finiatur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

OMnipotens deus, fons omnis sapientię, qui non solum quibus rebus opus nobis sit, antequam quicquam petimus, noueris, sed etiam nostram in petendo ignorantiam uides: rogamus tuam clementiam, misereſcat te nostrarum infirmitatum, & quæ uel propter

pter indignitatem noſtram non audemus, uel propter cœcitatem noſtram nō poſſumus, tu ea nobis largiri digneris, per merita filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum viuit & regnat Deus, in omnē æternitatem. Amē.

OMnipotens Deus, qui promiſiſti te auditurum preces eorum, qui in nomine filij tui poſtulant: aures tuas clementer precibus noſtris accommoda, & præſta, ut quæ fideliter à te petim⁹, efficaciter conſequamur. Per Dominum. &c,

Diebus feſtis, ſi non adſint communicantes, dicentur tamen omnia quæ præſcripta ſunt, uſque ad finem homiliæ, addendo orationem illam generalem pro uniuerſali ſtatu totius militantis Eccleſiæ, atque unam aut alteram è Collectis pręcedentibus.

Nunquam celebretur cœna Dominica, ſine conuenienti numero communicantium.

In Cathedralibus Eccleſijs & Collegijs, ubi multi ſunt preſbyteri, & Diaconi, omnes una cum Miniſtro, ſingulis Dominicis, ſimul communicabunt, niſi forte iuſta de cauſa eorum quiſpiam impediatur.

Quiſquis autem, ex tota multitudine, ter minimū in anno, ad ſacrā Cōmunionē ſe præparabit, nominatim autem feſto Paſchatis, quo etiam tempore ſinguli conſuetas decimas, oblationes, cæteraq; debita, ſuo paſtori aut eius uicario, ſine fraude perſoluet.

Ordo visitationis infirmorum

ET COMMVNIO eorundem.

Ingrediens Sacerdos domum infirmi, dicat,

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Tunc accedens ad ægrotum, flexis genibus, dicat,

NE reminiscaris Domine peccata nostra uel parentum nostrorum. Parce Domine, parce populo tuo, quẽ redemisti pręcioso sanguine tuo, ne in æternum irascaris nobis.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Pater noster qui es in cælis. &c.

Minister.

Et ne nos inducas in temptationem.

Responsio.

Sed libera nos à malo.

Minister.

Domine saluum fac seruum tuum.

Responsio.

Qui suam fiduciam in te collocat.

Minister.

Mitte eum Dñe angelum de sanctuario tuo.

Responsio.

Et potenter defende eum.

Mini-

Minister.

Nihil prævaleat inimicus in eo:

Responsio.

Et filius iniquitatis non noceat ei.

Minister.

Esto ei Domine turris fortitudinis:

Responsio.

A facie inimici.

Minister.

Domine exaudi orationem nostram:

Responsio.

Et clamor noster ad te veniat.

Oremus.

RESpice Domine de cælo, visita servum tuum, respice eum oculis misericordiæ tuæ, consolare eum ut in te certo confidat: defende eum ab insidijs inimici, & serva eum in pace perpetua & quiete. Per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

EXaudi nos omnipotens & misericors Deus, extende consuetam misericordiam tuam, ad hunc servum tuum ægrotantem: visita illum Domine, ut invisisti socrum Petri, & servum Centurionis: sic visita & restitue hunc sanitati, si ita tibi visum fuerit: vel fac eum ita perferre hanc afflictionem, ut post hanc vitam tecum viuat in æternum, Amen.

Vtatur autem ista ad ægrotum exhortatione, uel consimili.

HOc scias charissime frater, Christum esse Dominum mortis & uitæ, iuuentutis, fortitudinis, sanitatis, senectutis, debilitatis, & infirmitatis. Quare persuasum tibi sit, quod quicunque tuus fuerit morbus, is Deo uolente & sciente tibi contingat, & quacunq; tandem de causa, siue ut probet tuam pacientiã, siue ad exemplum aliorum, ut fides tua in die Domini inueniatur, ad laudem, gloriam & honorem Dei, & augmentum fœlicitatis uitæ æternæ, siue etiam ad correctionem & castigationem de aliquo quod offendit oculos cœlestis patris. Noueris certò, quòd si uerè te pœniteat peccati, & æquo animo feras hanc afflictionem, confisus in misericordia Dei, promissa propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, gratias agens pro hac paterna uisitatione, & te humiliter subijcias diuinæ eius uoluntati, tibi proderit ad salutẽ, & promouebit te in recta uia, quæ ducit ad uitam æternam.

Si ægrotus fuerit admodum debilis, poterit Minister hic facere finem exhortationis: alioquin perget in sequentibus.

Quare in optimam partem accipias hanc correctionem. Quem enim diligit Dominus, hunc castigat. Imo ut D. Paulus inquit:

Facile

Flagellat omnem filium quem recipit. Item si fertis castigationem, offert semetipsum uobis ut propriis filiis. Quis enim est filius quē pater non castigat? Si non estis subiecti correctioni, cuius omnes germani filij sunt participes, nothi estis & spurij, non legitimi filij. Quare cum patres nostri carnales nos castigent, & nihilominus obsequimur illis cum omni reuerentia, nunquid multo magis debemus obedire spirituali patri, ut uiuamus? Et illi quidem paucis diebus nos correxerunt pro ipsorum uoluntate: Ipse uerò nos castigat propter nostram utilitatem, ut participes simus suæ sanctitatis. Hæc uerba charissime frater, propter nostram consolationem & instructionem, scripta sunt, ut pacienter & cum gratiarum actione, feramus cœlestis patris correctionem quancunque, & per quæcunq; aduersa placuerit illi nos uisitare. Neq; enim maior cōsolatio Christiano esse debet, quam ut similis fiat imaginis filij Dei, in perferundis ærumnis & aduersis, ac infirmitatibus. Quemadmodum igitur Christus ipse nō ante ingressus est in gloriam quàm pateretur, sed ante crucifixus est, quàm glorificaretur: Ita profecto uia ad gloriam, est pacientia tribulationum: & transitus ad uitam est, cum Christo mori, ut una cum ipso resurgamus à

morte, & perfruamur uita æterna. Feras igitur tuam infirmitatem æquo animo, & memineris professionis tuæ in baptismo. Cum autem post hanc uitam reddenda sit ratio iusto Iudici, à quo omnes sine respectu personarum oportet iudicari, exhortor te, ut examines te ipsum, & quomodo cum Deo & cum omnibus hominibus tecum conuenit, ut dum te ipsum accusas & iudicas, pro peccatis inuenias misericordiam apud cœlestem patrem, propter Christum, & ne accuseris aut damneris in tremendo iudicio. Recitabo igitur articulos fidei, ut noris utrum uerè credas illa quæ Christianum credere oportet.

Hic sacerdos recitabit articulos Symboli, dicens in hunc modum.

CRedis in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? &c.

Quemadmodum fit in Baptismate.

Tunc examinabit illum sacerdos, num sit in charitate cum omnibus hominibus, exhortans illum, ut ex toto corde condonet illis, à quibus iniuria affectus fuerit. Et si aliquos ipse offenderit, aut iniuria affecerit, precetur ut sibi condonent.

Et si ante non condiderit testamentum, tunc condat, & dicat quæ ei debentur, & uicissim quę debeat, propter quietem posteritatis & amicorum. Sępe autem in concionibus diuites & potentes moneat, de condendo testamento dum ualent.

Hic ne omittatur, quin Minister agat cum infirmo de eleemosyna danda pauperibus.

Si

Si egrotus sentit suam conscientiam grauata m esse aliqua in re, de illa sacerdoti priuati n confiteatur: & finita confessione, Minister utetur hac forma absolutionis.

DOminus noster Iesus Christus, qui dedit potestatem Ecclesiæ absoluendi à peccatis pœnitentes, & credentes Euangelio, ipse ex infinita misericordia indulgeat tibi peccata tua: ego uerò autoritate ipsius mihi cõmissa, absoluo te ab omnibus peccatis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Deinde Minister recitabit subsequentem Collectam, dicens.

Oremus.

OMisericordissime Domine, qui iuxta multitudinem misericordiæ tuæ deles peccata pœnitentium, ita ut eorum amplius non memineris, aperi oculos misericordiæ tuæ, super hunc famulum tuum, qui petit misericordiam & remissionem peccatorũ ex toto pectore. Renoua amantissime pater, quic quid in eo subuersum est, fraude & malitia satanæ, uel carnali concupiscentia, & fragilitate humana: conserua & custodi hoc ægrotum membrum in unitate Ecclesiæ: uide contritionem eius, respice lachrymas, pœnásque mitiga aut amoue, ut placet diuinæ uoluntati tuæ. Et quia in tua misericordia tantùm confidit, noli imputare ei priora peccata,

ſed cum eo in gratiam redi, propter merita dilectiſsimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Tunc oret Miniſter hunc Pſalmum. xxi.

IN te Domine ſperaui non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: & ſalua me.

Eſto mihi in Deum protectorem: & in locum munitum, ut ſaluum me facias.

Quoniam firmamentum meum: & refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis, & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.

In te confirmatus ſum ex utero: de uentre matris meæ, tu es protector meus.

In te cantatio mea ſemper: tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude: ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Ne proijcias me in tempore ſenectutis: cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum.

Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum: quia non eſt q i

eripiat.

eripiat.

Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.

Confundantur & deficiant detrahentes animę meæ: operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo: & adijciam super omnem laudem tuam.

Os meum annunciabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.

Quoniam non cognoui literaturam introibo in potentias Domini; Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.

Deus docuisti me à iuuentute mea: & usq; nunc pronunciabo mirabilia tua.

Et usq; in senectam & senium: Deus ne derelinquas me.

Donec annunciem brachium tuum: generationi omni quæ uentura est.

Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus, usque in altissima quę fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus uiuificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam: & cõuersus, consolatus es me.

Nam & ego cofitebor tibi in uasis psalmi,

ueritatem tuam Deus : psallam tibi in cythara, sanctus Israel.

Exultabunt labia mea cum cantauero tibi : & anima mea, quam redemisti.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam : cum confusi & reueriti fuerint qui quęrunt mala mihi.

Gloria Patri. &c.

Antiphona.

SAluator mundi, salua nos. Qui per crucem & præcioſum ſanguinem redemisti nos, adiuua nos, te rogamus ò Deus.

Collecta.

OMmipotens Deus, qui est fortitudo omnium in se sperantium, cui omnia in cœlo & in terra, & subtus terram obediunt, nunc & semper sit tibi protector, & faciat cognoscere & sentire, quod non sit aliud nomen datū sub cœlo hominibus, in quo, & per quod tu recipias salutem & sanitatem, præter nomẽ Domini nostri Iesu Christi.

Si uidetur commodum, dicatur etiam hic Psalmus, pro usitata, ante hæc tempora, uisitatione.

Psalmus. xiij.

VSquequo Domine obliuiscęris me in finem? usquequo auertis faciem tuam à me?

Quam

Quam diu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine deus me?.

Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, Preualui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.

Gloria patri & filio; & Spiritui sancto.

Sicut erat in princio, & nunc & semper: & in secula seculorum. Amen.

Communio Infirmorum.

Cum omnes mortales subiecti sint infinitis periculis, infirmitatibus, & ærumnis, & semper incerti sint quando ex hac uita erit emigrandum: Ideo ut semper sint parati, & in expectatione mortis, quandocunque Deus uoluerit, Pastor subinde, sed præsertim pestis tempore, admoneat parochianos, ut frequenter communicent sacramento corporis & sanguinis Domini. Sic enim cauebitur, ne cum subitò fuerint correpti morbo, soliciti sint pro sacra Communione.

Verum si infirmus non poterit uenire in Ecclesiã, & petit sibi dari Sacramentum in domo sua, significabit tum demùm postridie, aut primò mane parocho, quot cum ipso una uelint communicare.

Quod si contingat eodem die Cœnam Domini in Ecclesia celebrari, tunc sacerdos in cœna tantum sacramenti seruabit, quantum sufficit ęgroto: & mox finita cœna, una cum aliquot ex his qui interfunt, ibit ad ægrotum, & primo communicabit cum illis, qui assistunt ægroto, & interfuerũt cœnæ, & postremo cum infirmo.

Sed primo fiat generalis confessio, & absolutio, cũ Collecta, ut supra est præscriptum.

Sed si infirmus illo die petat communionem, quo non cœlebratur cœna, tunc sacerdos in loco decenti, in domo ægroti, cœlebrabit Cœnam, hoc modo.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, conditor humani generis, qui quos diligis corrigis, & castigas omnem filium quem recipis, quæsumus, ut

ut miſerearis huic ſeruo tuo infirmo, & præſta, ut pacienter hanc infirmitatem ferat, & recuperet ſanitatem, ſi ita tibi uidebitur, & quãdocunq; hinc emigrauerit, immaculatus perueniat ad uitam ſempiternam.

Epiſtola. Heb. xij.

FIli mi, ne neglexeris correptionem Domini, neque deficias, cùm ab eo argúeris. Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Euangelium. Ioan. v.

AMen amen dico uobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet, ſed tranſiuit à morte in uitam.

Miniſter.

Dominus uobiſcum.

Reſponſio.

Et cum ſpiritu tuo.

Miniſter.

Surſum corda. &c.

vſque ad finem, ut ſupra dictum eſt.

CVm uenitur ad diſtributionem Sacramenti corporis & ſanguinis Chriſti, Sacerdos primò communicet. deinde alij cum ægroto, qui ſeſe ad hoc præpararunt.

Si eodem tempore uisitatur & recepturus sit Sacram cõmunionem ægrotus, licebit sacerdoti (quò citius officium vtrumq; absoluat) Visitationis finem facere, cum ventum fuerit ad Psalmum, *In te Domine sperani*. atque mox inchoare officium Sacræ communionis.

Sepultura.

SAcerdos procedet obuiam feretro, ad ingressum Cœmiterij, & dicat, aut ministri & clerici qui cũ eo sunt, canant, euntes ad sepulchrum, has Antiphonas.

Ioannis. xi.

EGo sum resurrectio, & uita. Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum.

Iob. xix.

SCio quòd redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum, Quem uisurus sum ego ipse: & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

i. Timo. vi.

NIhil intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam possumus: sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus.

Iob. i.

DOminus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen

men Domini benedictum.

Cum uentum est ad sepulchrum, dum cadauer paratur imponendum, dicatur aut canatur.

Iob. xiiij.

HOmo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.

Antiphona.

MEdia uita in morte sumus, quem quærimus adiutorem, nisi te Domine? qui pro peccatis nostris iustè iraſceris. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. Tu Domine, qui cognoscis occulta cordium nostrorum, noli claudere aures tuæ misericordiæ ad preces nostras, sed parce nobis sanctissime Deus, fortis, misericors saluator, & iudex æquissimè, ne derelinquas nos in hora mortis nostræ.

Dum cadauer terra iniecta operitur, sacerdos dicat.

CVm Deo uisum sit ex immensa sua misericordia animam charissimi fratris nostri nunc defuncti, ad se suscipere, corpus suũ sepulchro committendum curamus, terrã terræ, cinerem cineribus, puluerẽ puluerib⁹, cum certa & constanti spe resurrectionis, ad uitã æternam. Per Dñm nostrũ Iesum Christum,

qui transformabit corpus humilitatis nostræ, configuratū corpori claritatis suæ, iuxta potentiam operationis suæ, qua potest sibi subijcere omnia.

Tum recitatur Antiphona.

apo. 4 AVdiui uocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur amodo. Etiam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.

Deinde legatur Lectio. i. Cor. xv.

Col. 1. 2. Tes. 4 CHristus surrexit ex mortuis: primitiæ eorum qui dormierant, fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominē resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur, unusquisq; autem in proprio ordine, primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi in aduentu ipsius: mox finis, cùm tradiderit regnum Deo & patri: cùm aboleuerit omnem principatum, & omnem potestatem ac uirtutē. Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Nouissimus hostis abolebitur mors. Nam omnia subiecit sub pedes illius. Atqui cùm dicat, quòd omnia subiecta sint. palàm est, excipiendum eum, qui subiecit illi omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui

Psa. 109 Heb. 2.

illi

illi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Alioqui quid facient ij, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Cur & baptizantur pro mortuis? Quid & nos periclitamur omni tempore? Indies morior, per nostram gloriationem, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si secundum hominem cum bestijs depugnaui Ephesi, quæ mihi utilitas, si mortui nō resurgunt? 1Cor.16
Edamus & bibamus, cras enim morimur. Ne Menãder.
decipiamini. Mores bonos, colloquia corrūpunt mala. Esa.22.
Expergiscimini iustè, & ne peccetis. Nam ignorationem Dei nonnulli habent. Sap.2.
Ad pudorem uobis loquor. At dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore uenient? Stulte, Tu quod seminas, nō uiuificatur, nisi mortuum fuerit. Et hoc quod Ioan.12.
seminas, non corpus quod nascetur, seminas, sed nudum granum: exempli causa tritici, aut alicuius ex cæteris. Sed Deus illi dat corpus ut uoluit, & unicuiq; seminum suum corpus. Non omnis caro eadem caro: sed alia quidem caro hominum, alia uerò caro pecorum, alia uerò piscium, alia uerò uolucriū. Et sunt corpora cęlestia, & sunt corpora terrestria. Verùm alia quidem cœlestium gloria, alia uerò terrestrium: alia gloria solis, & alia gloria Mat.13.
lunæ, & alia gloria stellarum. Stella siquidem

à stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, resurgit in ĩcorruptibilitate: seminatur in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in potentia. Seminatur corp⁹ animale, resurgit corpus spirituale. Est corpus animale, & est corpus spirituale, quemadmodum & scriptũ est. Factus est primus homo Adam in animam uiuentẽ, extremus Adam in spiritum uiuificantem. At non primũ quod spirituale, sed quod animale, deinde q⁹ spirituale. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo ipse Dominus de cælo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt: & qualis ille cælestis, tales & hi qui cęlestes sunt. Et quemadmodum gestauimus imaginẽ terreni, gestabimus & imaginẽ cælestis. Hoc autem dico fratres, quòd caro & sanguis regni Dei hæreditatem consequi non possunt. Neque corruptio, incorruptibilitatis hæreditatẽ accipit. Ecce mysterium uobis dico. Nõ omnes quidem dormiemus, oẽs tamen immutabimur, in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Cùm autem corruptibile

Gen. 1.

1. Thes. 4. Phil. 3.

bile hoc induerit incorruptibilitatẽ, & mortale hoc induerit immortalitatẽ tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriam. Vbi tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? Aculeus autem mortis, peccatum: potentia uerò peccati, lex. Sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Itaq; fratres mei dilecti, stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere Domini semper, cùm sciatis quòd labor uester non est inanis in Domino. Esa. 25. Ose. 13. Heb. 2. 1. Ioa. 5.

Finita epistola, Minister dicet.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Pater noster qui es in cœlis. &c.

Minister.

Et ne nos inducas in temptationem.

Responsio.

Sed libera nos à malo.

Minister.

Oremus.

OMnipotens Deus, apud quem viuunt spiritus illorum, qui hinc decesserunt, & quocum animæ electorum, postquam exuerunt onus huius carnis, lætitia & fœlicitate fruuntur: gratias agimus tibi immensas, propterea quod expedire voluisti. N. nostrum

ſtrum fratrem, ex ærumnis huius mundi impñ, precantes vt placeat infinitæ tuæ bonitati, breui explere numerum electorum tuorum, & maturare gloriã regni tui, vt nos vna cum fratre noſtro, & omnibus alijs vita defunctis, in vera fide & confeſſione nominis tui, conſequamur perfectam abſolutionem, & beatitudinem, tum corporis tum animę, in tua perpetua & ſempiterna gloria. Amen.

Collecta.

MIſericors deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt reſurrectio vitæ, in quem, quicunque crediderit, viuet, etiamſi moriatur: & quicunq; uiuit & credit in ipſum, in omnem æternitatem non morietur. Qui nos docuit etiam, per ſanctum apoſtolum ſuum Paulum, vt non triſtaremur, tanquam ñ, qui ſpem non habent, illorum cauſa qui dormiunt in ipſo: ſupplices te petimus, ô pater, vt nos ſuſcites à morte peccati, ad vitam iuſtitiæ, vt quum decedimus ab hac vita, quieſcamus in ipſo, prout ſpes eſt noſtrum fratrem quieſcere, & vt in communi illa reſurrectione extremi diei, reperiamur accepti coram te, & recipiamus illam benedictionẽ, quam dilectus tuus filius enunciabit, omnibus ijs qui diligunt ac uerentur te, dicens: Venite benedicti filij patris mei, recipite

pite regnum illud, quod uobis paratum fuit ab origine mundi. Largire hoc, quæsumus te misericors Pater, per Iesum Christum mediatorem ac seruatorem nostrum. Amen.

Ordo Baptismi tenendus in Ecclesia.

VEteres prodiderunt scriptores, baptismi sacramentum olim non solitum fuisse publicè exhiberi, nisi bis quotānis, hoc est, ad solenne Paschatis, & Pentecostes. His autem temporibus publicè administrabatur coram publico populi concilio, qui mos hac nostra tempestate absoletus & antiquatus, & si multas ob causas, in pristinum locum restitui non potest, consultissimum tamen esse duximus, tam affine eius vestigium, & imaginem retinere, quàm temporis ratio pateretur. Quamobrem, admonendus est populꝰ, Baptismum publicum non permitti certis de causis, nisi Dominicis, ac Festis diebus, quãdo populi conuentus est frequentissimus, partim vt concio illa possit testari, eorum qui loti sunt, in Ecclesiam Christi nouitiam insitionem, partim, vt in Baptismo infantium, cuilibet eorum qui astant, veniat in mentem voti, ac professionis suæ aduersus deum, quam ille in se receperat in propia lotione. Qua de re, cõuenit etiã vt Baptismus vernaculo sermone administretur. Verum ne qua, de re non magni momenti, velitatio suboriatur, meminerint hæc dicta esse de publico baptismo. Possũt enim pueri (si necessitas id efflagitet) domi baptizari, sine vlla temporis obseruatione, dummodo cautè id fiat, conseruatis præcipuis, ac necessarijs baptismi circumstantijs.

Publicus Baptismus.

CVm infantes baptizandi sunt, vel Dominico, vel alio aliquo festo, tum parentes ea de re pastorem præmonebunt, vel nocte pridiana, vel mane, ante exordium matutinarum precum, & tum Susceptores ac susceptrices cum populo apud fontem adesse conuenit, statim à posteriore lectione Matutinarum aut Vespertinarum precum; prout Minister decreuerit. Tum Minister cum his astans, interrogabit eos, ecquid infans baptizatus sit an non? Si negauerint, tunc Minister sic dicet.

DIlectissimi, quandoquidem omnis homo, tum concipitur, tum paritur in peccato, & seruator noster Christus dicit, neminem posse introire in regnū Dei nisi sit regeneratus, & renatus ex aqua & spiritu sancto: obtestor vos vt inuocetis Deum patrem, in domino nostro Iesu Christo, vt per immensam suam misericordiā, dignetur concedere his infantib⁹, id quod sua vi & natura consequi non possunt, vt baptizentur aqua, & spiritu sancto, & recipiantur in sanctam Christi Ecclesiam, & fiant membra viua eiusdem.

Tunc Minister dicet. Oremus.

OMnipotens & æterne Deus, qui ineffabili tua misericordia, Noah, ac eius familiam è diluuio seruauisti, qui sine periculo deduxisti populum tuum Israëlem per Mare rubrum, eo figurans sacrosanctum tuum baptismum

baptiſmum, qui ſacra lotione dilecti filij tui Ieſu Chriſti ſanctificauiſti fluuium Iordanis, & omnes alias aquas in myſticam peccati ablutionem: nos te precamur per infinitã clementiam tuam, vt piè intuearis in hos infantes, ſanctifices, & laues eos tuo Spiritu ſancto, vt liberi ab ira tua recipiantur in arcam eccleſiæ Chriſti, vt ſolidi fide, ſpe lęti, & dilectione firmi, ſic ſuperent vndas huius turbulentiſſimi mundi, vt ad extremùm in regionem ęternæ vitæ perueniant, quò tecũ regnent in omnem ęternitatem: per Chriſtũ Ieſum Dominum noſtrum. Amen.

OMnipotens & immortalis Deus, prę-ſidium omnium in anguſtia conſtitutorum, ſcutum omnium tuam opem implorantium, vita credentium, & mortuorum reſurrectio: te inuocamus, horum infantium cauſa, vt illi accedentes ad tuum baptiſmum, remiſſionem peccatorum per ſpiritualem regenerationem conſequantur. Recipe eos, ô Deus, & ſicuti pollicitus es per dilectum filium tuum, dicens: Petite, & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis: ita nobis præbe nunc qui te poſcimus, inueniamus qui quærimus, aperi ianuam nobis pulſantibus, vt hi infantes ſempiternam be-

benedictionem tuę cœlestis lotionis assequãtur, & ad illud tuum æternum regnum perueniant, Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tunc dicet Minister.

Audite verba euangelij scripti per diuum Marcum. capite Decimo.

TTulerũt ad Iesum pueros, ut tangeret illos: discipuli uerò increpabant eos qui adducebant. Cũ uidisset autem Iesus, indignatus est, & dixit illis: Sinite pueros venire ad me, ne prohibete illos, talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, Quicunque non acceperit regnũ dei tanquam puer, haud quaquam ingredietur in illud. Et cùm cepisset illos in vlnas, impositis manibus super illos, benedixit eis.

Post lectum euangelium, presbyter hanc breuem admonitionem pronunciabit, super verbis euangelij.

AMici, auditis hoc in euangelio, verba seruatoris nostri Christi, inuitantis ad se puerulos, & reprehendentis illos, qui eos à se arcebant, ac postremò suadentis hominibus, vt imitentur illorum innocentiam. Intelligitis per gestus, & acta externa, eius immẽsam beneuolentiam in illos. Brachijs siquidẽ arctè complexus est illos, manus imposuit, & benedixit. Ne dubitetis igitur, verùm firmiter

miter credite, eum benigne recepturum hos, qui hic adsunt infantes, amplexaturum eos misericordię suę brachijs, donaturum eis æternę vitæ benedictionem, effecturumq; eos cœlestis regni sui consortes. Quamobrem nos minime nescij fauoris, quem cœlestis pater noster gerit in hos infantes, illustrati ac patefacti per filiū eius Iesum Christum, ac nihil omnino hæsitantes, quin magni pendat hunc nostrū conatum, in adducendo hos infantes ad suum sacrum baptismū, per fidem & affectum reddamus illi immortales gratias, dicentes.

OMnipotens & æterne deus, cælestis pater, gratias tibi supplices agimus, quod vocare nos dignatus es, ad agnitionem gratię ac fauoris tui, & fidei in te. Precamur autem, vt hanc cognitionem in nobis adaugeas, ac stabilias hanc fidem in omnem ęternitatē: infundas in hos infantes spiritum sanctum tuum, vt possint renasci, & fieri hæredes æternæ redemptionis, per dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat tecum, ac cum sancto spiritu, & in præsens & in posteritatem. Amen.

Tunc minister alloquetur Susceptores, & susceptrices, in hanc formam.

DIlectissimi amici, attulistis huc, hos in-

fantes vt Baptisarentur, vota feciſtis, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignaretur recipere eos, manus imponere in eos, eis benedicere, remittere eis peccata ſua, tribuere eis regnum cœleſte, ac ſempiternam vitam. Audiuiſtis præterea dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, pollicitū eſſe in euangelio, ſe præſtaturum hęc omnia, ad quę uota feciſtis: quę quidem pollicitatio, rata, ac firma futura eſt. Qua de re, pro hoc promiſſo, hos infantes oportet ſpondere per uos, ſuos fideiuſſores, ſe deſerturos diabolum & omnia eius opera, & conſtanter credituros uerbo euangelico, & obſequenter ſeruaturos eius præcepta.

Tunc Miniſter interrogabit Suſceptores ac Suſceptrices, hæc quæ ſequuntur.

DEteſtaris diabolum & omnia eius opera, inanem pompam & gloriā mundi? una cū omnibus deſideriſs eiuſdem, impias carnis libidines, ſic vt eas vel ſequi, vel ab his duci te non ſis permiſſurus?

Reſponſio.

Deteſtor ea omnia.

Miniſter.

CRediſ in Deum patrem omnipotentē creatorem cœli & terræ: & in Ieſum Chriſtum filium eius unicū, Dominum nr̄m, conceptum ex ſpiritu ſancto, natum ex Maria

ria uirgine? Credis eundem passum fuisse sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, sepultũ, ac descendisse ad inferos, & tertia die resurrexisse à mortuis? Credis eum ascendisse in cœlũ, & sedere ad dexteram dei patris omnipotentis, & illinc iterum venturum esse, in fine sęculi, ad iudicandum uiuos & mortuos? Credis item in spiritum sanctum? Credis sanctam catholicam Ecclesiam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & æternam vitam post mortem?

Responsio.

Omnia hæc firmiter credo.

Minister.

Vis baptisari in hanc fidem?

Responsio.

Cupio.

Tunc Minister dicet.

COncede misericors deus, sic veterem Adamum in his infantibus posse sepeliri, vt nouus Adam possit in his suscitari. Amẽ.

COncede, vt omnes carnis concupiscentiæ in his extinguantur, & ea que sunt spiritus, in eis vegetẽtur, ac augeantur. Amẽ.

COncede, vt potentiam & vim consequantur vincendi, ac triumphandi, aduersus satanam, mundum, & carnem. Amen.

Largire,

LArgire, vt quisquis tibi dicatus sit, officij nostri ministerio, imbuatur cœlesti virtutum dono, ac in omnem æternitatem remuneretur, O benedicende domine, qui viuis, & regis omnia, in sęcula. Amen.

OMnipotens, & sempiterne deus, cuius charissimus filius, Iesus Christus, in ablutionem peccatorum nostrorum, e latere profudit aquam & sanguinem, imposuitq; discipulis suis, vt irent doctum omnes nationes, & baptizatum eos in nomen patris, & filii, & spiritus sãcti, intuere quæsumus vota huius tuæ concionis, & largire, vt omnes tui famuli qui baptizabuntur in hac vnda, recipiant plenitudinem omnis gratiæ, ac connumerentur in censu fidelium ac electorum liberorum tuorum, per Iesum Christum dominum nostrum. Amen.

Hic Minister infantem in manus suscipiet, & nomen quæret: deinde nomine appellans, tinget illum ni aquam, sed consultè & caute, dicens.

N. Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Verum, si puer sit imbecillus, ac languidus, tum sat erit, aliquid aquæ in illum effudisse, ad modum superiorem dicens.

N. Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Tunc

Tunc Minister, cruce signabit infantes, fronte, dicens.

NOs recipimus hunc (vel hanc) infantem, in societatem gregis Christi, & insignimus illum (vel illam) crucis monumento, in signum, vt eum nunquam pudeat confessionis fidei Christi crucifixi, sed robustè pugnaturum sub eius insigni, aduersus peccatum, mundum, & diabolum, & permansurum Christi fidelem militem & famulum, vsq; ad vitæ exitum.

Tunc Minister dicet.

QVandoquidem nunc, charissimi fratres, hi infantes sunt regenerati, & insiti in corporis Christi ecclesiam & societatẽ: agamus gratias Deo pro his beneficijs, & vno animorum consensu precemur omnipotenti Deo, vt illi ducant reliquum vitæ suæ, secundum hunc ingressum.

Tunc dicetur.

Pater noster qui. &c.

Tunc Minister dicet.

HAbemus tibi ex animo immortales gratias, misericors pater, eò quod placuit tibi regenerare hunc (vel hanc) infantem, tuo sancto spiritu, recipere eum in proprium filium, per adoptionem, & inserere in tuam

ſanctam concionem. Suppliciter etiam te petimus, ut concedas, ut is (vel ea) mortuus (vel mortua) peccato, & uiuens iuſtitiæ, & ſepultus (vel ſepulta) cum Chriſto in eius mortem, eruci affigat ueterem hominẽ, & penitus exterminet corpus peccati, ut quemadmodum factus (vel facta) eſt particeps mortis filij tui, ſic fiat item particeps reſurrectionis ſuæ, quò tandem cum reliqua ſancta ſocietate, fiat hæres tui regni ſempiterni, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad extremum, Miniſter conuocans Suſceptores ac Suſceptrices, hãc ſequentem cohortationem efferat.

QVandoquidẽ, infantes hi polliciti ſunt per uos, ſe deſerturos Satanam, & omnia eius opera, contra uerò credituros in deum, & ſeruituros ei: recordandum eſt uobis ueſtrum eſſe procurare, ut hi infantes agnoſcant, quàm primum poſſunt, quàm celebre uotum, promiſſum, & profeſſionem ſuſceperint. Et ut has res exactius cognoſcant, exhortabimini, ut ſæpe adeant conciones. Potiſsimum autem efficietis, vt ſeduló ediſcant Symbolum Apoſtolorum, Dominicã orationem, cum præceptis Decalogi, lingua uernacula, & cætera etiã quę Chriſtiano homini ſunt percipienda & credenda, in ſalutem animarum, & ut probè educẽtur ad degendum

gendum piam & Christianam uitã, memores perpetuò, quod baptismus effigiat nobis nostram professionem, ad insistendum in uestigijs Christi seruatoris nostri, & ad induẽdum eius imaginem, vt quemadmodum is mortuus fuit & resurrexit pro nobis, ita nos qui baptizamur, moreremur à peccato, & resurgeremus iustitiæ, continuò trucidantes omnes nostros malos, & deprauatos affect⁹, & in dies singulos progredientes, in omni probitate, & uitæ sanctimonia.

Minister imperabit, ut infantes perducantur ad Episcopum, ut confirmentur ab ipso, quàm primum poterũt lingua uernacula dicere Articulos fidei, Orationem Dominicam, & Decem præceptà, & penitius perceptum & compræhensum tenuerint Catechismum, prout hic paulò infra habetur.

Baptismus priuatus.

De his qui baptizantur domi, necessitate nos eo impellente.

Pastores ac ministri Ecclesiæ, sæpe admonebunt populum, ne differant baptismum infantium ultra Dominicam, aut alia Festa, quæ proximè sequuntur natalẽ puerulorum, sine graui causa, eáque relata ad ministros, & ab his probata.

Admonebunt etiam, ut absq; ratione graui, & necessitate, non baptizent infantes priuatim intra domesticos parietes, & ut (cum necessitas eos ad hoc protruserit) hanc sequantur formam.

Primum, qui præsentes fuerint, inuocent Deum, dicentes orationem Dominicam, si occasio permiserit. Tunc aliquis, vel tinget infantem in aquam, vel effundet aquam super illum, adiungens hæc verba.

N. Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Hoc peracto, ne ambigant quicquam de pueruli Baptismo. Est siquidem legitimè & satis absolutè baptizatus, neque eget Baptismi repetitione in templo. Verum si infans, qui hoc pacto Baptizabatur, reualuerit, expedit, vt in templum adducatur, huius rei gratia, vt Minister vestiget & exploret, ecquid infans sit legitimè Baptizatus. Quod si hi, qui adducunt infantem ad templum, confiteãtur eum Baptizatum esse, tum Minister eam rem trutinabit, per hæc interrogata.

Per quem Baptziatus est is infans?

Quinam aderant, interim dum Baptizaretur?

Vtrum implorarent opem, & auxilium diuinum, in illis angustijs.

Qua re, ac materia Baptizabant?

Quibus verbis, Baptizabatur infans?

Vtrum opinentur puerum legitimè, & perfectè Baptizatum fuisse.

Quod si Minister deprehenderit, per eorum responsa, qui puerum afferebant, omnia pro natura rei fuisse peracta, tũ non repetet pueruli Baptismum, verum recipiet eum, vt unum ex ouili Christiano, dicens.

CErtò rectè præstitistis officium uestrum hac in re, iustumq; ordinem retinuistis in baptismo huius infantis, qui natus in originali peccato, & sub ira diuina, nunc est per

Lauacrum

Lauacrum regenerationis in Baptiſmo, in cenſum liberorum Dei relatus, & hæres factus æternæ vitæ. Nam dominus noſter Ieſus Chriſtus, non detinet gratiam & miſericordiam ſuam ab huiuſmodi, verum amantiſſimè accerſit & inuitat ad ſe, quemadmodum ſanctum euangelium in noſtrum ſolatium teſtatur, hoc pacto.

Euangelium. Mar. x.

Attulerunt ad Ieſum. &c. Vt ſupra in publico baptiſmate.

Poſt lectum euangelium, pronunciabit Miniſter admonitionem, vt in publico Baptiſmate.

Amici. &c. Vt ſupra, donec peruentum eſt ad poſtremam ſententiam, quæ ſeſe ſic habebit. Quamobrem nos minimè neſcij fauoris, quem cæleſtis noſter pater gerit in hos infantes, illuſtrati ac patefacti per filium eius Ieſum Chriſtum, agamus illi gratias per fidem & pium affectū, & dicamus orationem quam dominus ipſe docuit, & ad teſtationem fidei noſtræ, recitemus articulos, compræhenſos in Symbolo.

Hic Miniſter cum Suſceptoribus & Suſceptricibus, dicet.

Pater noſter qui es. &c.

Tunc Miniſter interrogabit nomen infantis, quo quidem per Suſceptores & Suſceptrices indicato, is dicet.

Deteſtaris tu, vice & loco huius infantis, diabolum. &c. Vt ſupra.

Reſponſio.

Detestor ea omnia.

Ministeri.

Ecquid, profiteris nomine huius infantis, hãc fidem? nempe te credere in deum Patrẽ. &c.

Quæst. Ecquid, credis eius nomine in Spiritum sanctum? &c.

Responsio.

Omnia hæc firmissimè credo.

Tunc Minister dicet.

Oremus.

OMnipotens & æterne Deus, pater cęlestis, agimus tibi gratias, quòd dignatus es vocare nos in agnitionẽ gratiæ tuę, ac fidei in te. Adauge quæsumus hanc notitiam, & confirma hanc in nobis fidem: dona huic infanti spiritum tuũ, ut renatus & effectus hæres sempiternę redemptionis, per Dominum nostrũ Iesum Christum, perseueret famulus tuus, & consequatur promissa tua, Per eundem Dominum nostrum Iesum Cristum filiũm tuum, qui tecum uiuit & regnat in unitate eiusdem spiritus sancti in secula. Amen.

Tunc Minister hac exhortatione utetur ad Susceptores & Susceptrices.

Quandoquidem hic infans. &c.

vt supra, seruato numero singulari.

Verum, si hi, qui afferunt infantes ad templum, ambiguè respondeant ad interrogata, & dicant se nescire, quid

quid cogitauerint, fecerint, aut dixerint in eo metu, & mentis anxietate (ita uti sæpe fit) tum baptizet eum minister, iuxta formam baptismi publici, excepto quod intertingendum infantem in fontem, utetur hac uerborum ratione.

Si tu non sis adhuc baptizatus. N. ego baptizo te, in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Amen.

Confirmatio Puerorum,

cui insertus est Catechismus.

VT confirmatio administretur cum fructu, & ad ædificationem eorum, qui eam recipiunt, iuxta doctrinam sancti Pauli, qui præcipit, ut omnia fiant in ecclesia ad ædificationem, commodū uidetur, ut nemo posthac confirmetur, nisi qui lingua materna possit recitare articulos fidei, precationem Dominicam, & Decalogum, & respondere ad quæstiones in hac breui Catechesi propositas, cum de aliqua interrogati fuerint ab Episcopo, uel alio designato ab ipso. Hoc ut statueremus, monemur his rationibus.

Primo, ut pueri propriam fidem confiteantur, & se ratā habere testentur confessionem, quā Patrini eorū nomine fecerūt in Baptismo, & ut ipsimet proprio ore atq; cōsensu coram ecclesia confimare & rata habere ea possint: & promittant, se per gratiam Dei omnia illa uelle fideliter præstare, quæ proprio ore profitentur.

Deinde quia Confirmatio adhibetur baptisatis per impositionem manuum, & precem publicam, vt recipiant donum fortitudinis, ad resistendum omnibus tentationibus

bus, & assultibus carnis, mundi, & Diaboli, placuit illo tempore exhiberi, quo per ætatem experiri possunt, quænam sint illæ tentationes, per quas sollicitantur ad peccatum.

Tertio, quia hoc conuenit cum institutione primitiuæ Ecclesiæ, quæ decreuit, eos tantum esse confirmandos, qui erant adulta ætate, vt illi sufficienter edocti in Christiana religione, apertè profiterentur suam propriam fidem, & promitterent obedientiam Deo.

Et ne quis putèt, noxiam esse pueris dilationem Confirmationis vsque dum adoleuerint, is certo sciat ex manifesto verbo Dei, pueros post Baptismum habere omnia necessaria ad salutem, & absque dubio seruandos esse.

Catechesis, qua puer instituitur priusquam ad Confirmationem producitur.

QVod est tibi nomen? Responsio. N. vel N.
Quæst. Quis indidit tibi hoc nomen? Responsio.
Patrini, in Baptismo, quo factus sum membrum Christi, filius Dei, & hæres vitæ æternæ. Quæstio.
Quid promiserunt pro te Compatres, & Commatres?
Responsio.
Tria meo nomine polliciti sunt.
Primum, quod renunciarem Diabolo, mundo, & carnalibus concupiscentijs.
Deinde, ut crederem omnes Articulos fidei Christianæ.
Tertio, quod vellem obsequi præceptis Dei, & ei seruire in sanctitate & iustitia, omnibus diebus vitæ meæ.
Quæstio.
Nonne putas te esse astrictum vt credas atque facias illa, quæ ipsi tuo nomine promiserunt?
Responsio.
Ita certè: atq; id Dei auxilio sum facturus, & gratiam ago

ex

ex animo cœlesti Patri, qui me ad hãc gratiam per Dominum nostrum Iesum Cristum uocauit, eumq; toto pectore precor, ut porro largiatur mihi gratiam, ut in ea perseuerem usq; ad finem uitæ.

Quæstio. Recita articulos Fidei.

Resp. Credo in Deum Patrem omnipotentem. &c.

Qu. Quid præcipuè didicisti ex his articulis fidei?

Resp. Primùm, didici credere in Deum patrem qui creauit cœlum & terram.

Deinde in Deum Filium, qui me redemit, & totum genus humanum.

Tertiò, in Spiritum sanctum, qui me sanctificat, & uniuersum electum populum Dei.

Qu. Cùm responderis, Patrinos nomine tuo promisisse te seruaturum esse præcepta Dei, dic quot sunt?

Resp. Decem. Quæstio. Quæ sunt?

Resp. Ea quæ Dominus recensuit Exodi vicesimo, dicens: Ego sum Dominus Deus uester, qui eduxi te de terra Aegypti, ex domo seruitutis, &c. vt supra, ante Communionem.

Quæstio. Quid potissimum ex his præceptis discis?

Resp. Duo: Primum, quid Deo: Alterum quid proximo debeam.

Quæstio. Quid Deo debes?

Re. Fidem, timorem, amorem ex toto corde, tota mente, anima, & omnibus uiribus: cultum, gratiarũ actionem, ut omnem fiduciam meã in eum collocem, eum inuocem, glorificem, nomen & uerbum suum sanctum honore afficiam, ac seruiam ei omnibus diebus uitæ meæ.

Quæstio. Quid uero debes proximo?

Resp. Vt amem eum perinde ac me ipsum: & ut faciam omnibus hominibus, prout uelim mihi fieri ab illis: ut honore afficiam Patrem & Matrem, eis succurram & subueniam, ut obediam Regi & ipsius Ministris, ut me subijciã meo Magistratui, Doctoribus, Pastori spirituali, & Ma-

gistro, vt me modestè geram, & reuerenter erga maiores & meliores, ut nullum lædam uerbo aut facto, vt sim fidelis & iustus in omnibus negotijs, ut nulli inuideam, nullũ odiam, ut manus contineam à furto, linguam à maledicentia & obtrectatione, ut me ipsum castum & sobrium seruem. Ne concupiscam aliorum bona, sed discam meo labore mihi uictum parare, & ut Deo obediam in quacũque uocatione, ad quam me dignabitur uocare.

Quæstio. Cum scire debeas, te ista ex tuis uiribus, & sine speciali Dei gratia præstare non posse, ac propterea continuò orandum esse pro gratia, dic mihi bone puer, Orationem Dominicam.

Resp. Pater noster qui es in cœlis. &c.

Quæstio. Quid petis à Deo hac precatione?

Resp. Peto ut cœlestis pater, dator omnis boni, det mihi & omnibus hominibus, ut eum colamus, ei seruiamus, & obediamus, ut donet nobis omnia quæ necessaria sunt ad hanc uitam, remittat nobis peccata, ac ut defendat nos in omnibus periculis corporis & animæ. Postremò, ut nos liberet ab omni peccato, ab insidijs Diaboli, & morte æterna. Credo etiam Deum Patrem pro sua bonitate & misericordia hoc facturum, per Dominum nostrum Iesum Christum, ideóque dico Amen: id est, ita fiet.

Finis Catechismi.

Quum pueri possint uulgari & materna lingua recitare Articulos fidei, Precationem Dominicam & Decalogum, & respondere ad quæstiones in hac breui Catechesi propositas, cum interrogati fuerint ab Episcopo, uel alio designato ab ipso, tunc adducentur ad Episcopum, per aliquem qui futurus sit eius Patrinus, quod fieri debet, ut unusquisque puerorum, possit habere testem suæ Confirmationis.

Episcopus confirmabit puerum hoc modo.

Con-

Confirmatio.

Episcopus.

Adiutorium nostrũ in nomine Dñi.

Responsio.

Qui fecit cœlum & terram.

Episcopus.

Sit nomen Domini benedictum.

Responsio.

Et nunc, & in perpetuum.

Episcopus.

Domine exaudi orationem nostram.

Responsio.

Et clamor noster ad te perueniat.

Episcopus.

Oremus.

OMnipotens & immortalis Deus, qui dignatus es regenerare hos tuos famulos per aquam, & spiritum paracletum, & tribuisti eis veniam omniũ delictorum suorum, robora eos, te quæsumus domine, spiritu consolationis, & indies adauge, & exaggera in ijs donum gratiæ tuæ, variũ & multiplex, largire spiritum sapientiæ & intellectionis, spiritum consilij, & internę fortitudinis, spiritum scienciæ & veræ pietatis, & comple eos, ô Deus, spritu sancti timoris tui Amen.

Hic Minister imponet manum suam in quemlibet puerum, separatim, dicens.

PRotege domine puerum hunc, tua cælesti gratia, vt perseueret tuus in omnem ætatem, & in dies singulos multiplica in eo spiritum sanctum tuum, magis, magisq; donec peruenerit ad tuum regnum sempiternum. Amen. Tunc Episcopus dicet.

Oremus.

OMnipotens & immortalis Deus, qui facis nos & uelle & efficere quæ sunt bona, & accepta tuæ maiestati: nos te supplices petimus horū puerorum gratiâ, in quos (sanctorum apostolorum tuorum exemplo) manus imposuimus, ut reddas eos certos hoc signo, tui fauoris & dilectionis in eos. Sit, oramus, tua paterna manus semper super eos, sit spiritus tuus semper cum eis, & sic præluceat & manu ducat eos in cognitionem & obsequium uerbi tui: ut ad postremum æternam uitam consequantur, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum & cum sancto Spiritu uiuit & regnat vnus Deus, immutabili æternitate. Amen.

Tunc Episcopus benedicet pueris, his uerbis.

Benedictio omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sit super uos, & maneat semper uobiscum. Amen.

Pastor cuiuslibet Parrochiæ, aut aliquis alius deputatus, die Dominico aut Festo, dimidia hora ante Vesperas, examinabit & instituet pueros in templo de aliqua parte Catechismi, facta ante intimatione: & omnes patresfamiliæ & matresfamiliæ curabunt liberos, seruos & ancillas eo uenire, & respondere Parrocho ad interrogata, donec Catechesin didicerint.

Quoties etiam Episcopus significauerit se uelle Confirmare pueros, Parrochus intimabit Episcopo nomina eorũ, quos iudicarit sufficienter institutos in Catechismo.

Nemo autem admittatur ad Communionem, nisi ante fuerit Confirmatus.

De solenni Matrimonio.

Primò, nomina contrahentium, tribus Dominicis intimentur, populo præsente, ut hactenus in more fuit. Si autem in diuersis habitauerint personæ Parrochijs, non admittantur ad matrimonij solennizationem, nisi in utraque Parrochia facta fuerit legitima intimatio, & alter Parrochus alterum de hoc certiorem reddiderit. Die constituto ad nuptias conueniant Sponsus & Sponsa cum amicis in medio Ecclesiæ, ante Chorum, ubi Minister sic uerba faciet.

CHarissimi, hic coram Deo, in ecclesia ipsius conuenimus, ad coniungendum hunc Virum & hanc mulierem matrimonio, quod honorifice ab ipso Deo institutum est in Paradyso, cũ adhuc integra esset natura, ad significandum mysterium coniunctionis Christi cum Ecclesia. Hunc ordinem Christus ornauit

uit,& honorauit ſua preſentia,& primo ſuo miraculo,quod ędidit in Cana Galileę. Paulus etiam ita celebrat,quod ſit honorabile inter omnes homines coniugiũ,& thorus immaculatus. Non eſt igitur contemnendum à nobis, aut leuiter,temere,petulanter, & tantum propter explendam libidinem, brutorũ, (quę ratione carent)& pecudum more,arripiendum,à quolibet ebrio,ſed debita qua decet reuerentia, cum graui deliberatione,à ſobrijs cum timore Dei: diligenter conſiderando cauſas,propter quas Deus coniugium inſtituit. Harum una,eſt procreatio prolis, & educatio ad timorem & diſciplinam Domini. Altera eſt,ut ſit remedium contra peccatum carnalis concupiſcentiæ,& ſcortationẽ, ut cõiuges in matrimonio caſtè uiuant,& ſeipſos incontaminatos ſeruent,ut mẽbra corporis Chriſti. Tertia eſt,ſocietas, mutuũ auxilium, conſolatio, conſilium, ut alter alteri adſit, tam in proſperis quàm in aduerſis. In hoc ſacroſancto ordine, hæ perſonæ aduenijunt coniungendę. Quare ſi quis adeſt,qui iuſtã cauſam habet, propter quam non debent copulari,is nunc dicat,aut poſt hac in perpetuum taceat.

Tunc cõuerſus ad ſponſum & ſponſam, dicat.

Vos admoneo extremi iudicij, in quo ſtabitis ad tribunal Chriſti, quem nihil latet,ut

ſi alter

si alter de altero, aut seipso scit impedimentū, quo min⁹ ualeat hoc matrimoniū inter uos, fateamini, & hoc certo uobis persuadeatis, quod quoruncunq; matrimoniū non probatur uerbo Dei, Deum hos non coniungere, nec eorum coniugium esse legitimum.

Si adest aliquis qui allegat impedimentū, quo minus coniungi possint matrimonio, lege Dei & huius regni, & offert se cum sponsoribus ad soluendas impensas matrimonij, si non probauerit quod obijcit, differatur solemnizatio matrimonij: Si nihil in contrarium adferatur, tunc dicat Minister Sponso.

N. Vis habere hanc personam N. ut sit tua legitima uxor, ut cum ea uiuas iuxta Dei ordinationem in sacro matrimonio? Vis eam amare, consolari, honorare, & conseruare sanam & ægrotam, & repudiare omnem aliā, & te illi soli seruare quam diu uiuas?

Respondeat Volo.

Tunc conuersus ad mulierem, dicet.

N. Vis habere hunc N. ut sit tibi legitimus maritus, & cum eo uiuere iuxta Dei ordinationem in sancto matrimonio, ei obedire, seruire, amare & honorare ipsum, seruare eum sanū & ęgrotū, & posthabitis omnibus alijs, te illi soli custodire, toto tēpore uitæ uestræ?

Respondeat Volo.

Tunc Minister dicet.

Quos deus coniunxit, homo non separet.

Post, Minister accepta sponsa à Parentibus, tradet eius dextrā Sponso, & iubebit ut dent mutuā fidē, dicēte uiro:

Ego

Ego N. accipio te N. ut sis mea uxor, ut habeã & retineam ab hoc die, inter prospera & aduersa, siue ditior siue pauperior, ægra aut sana fueris, ut amẽ & foueã, donec mors nos separauerit, iuxta ordinationem diuinam: & in signum trado tibi meam fidem.

Tunc mulier accipiens dextram uiri, dicat.

Ego N. accipio te N. ut sis meus maritus, ut habeam & retineã ab hoc die, & deinceps, inter prospera & aduersa, siue ditior, siue pauperior, sanus aut æger fueris, ut te amem & foueam, tibi obediam, donec mors nos separauerit, iuxta ordinationem dei, & in signum trado tibi meam fidem.

Tunc uir det mulieri annulum, & alia munera, aurum & argentum, & ponet super librum, cum consueto ministris debito salario, quem Minister manu tenet, ac Presbyter accepto annulo, tradet uiro, ut imponat quarto digito mulieris, dicens:

Hoc annulo te mihi despondeo, hoc aurũ, & argentum tibi dono, cum meo corpore te honoro, & omnibus fortunæ bonis te amplifico, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Vir relinquens annulum in quarto digito sinistræ manus sponsæ, Minister dicet.

Oremus.

O Aeterne Deus, creator & conseruator humani generis, dator omnis gratiæ spiritualis,

ſpiritualis, & autor æternæ uitæ, da benedictionem ſeruis tuis, huic uiro, & huic mulieri, quibus nos in tuo nomine benedicimus, ut quemadmodũ Iſaac & Rebecca, fideliter inter ſe uixerunt, ita hæ perſonæ certò præſtent, & ſeruent uotum, & conuentionem inter ſeſe mutuo factam, cuius hic annulus datus & receptus, eſt ſignum & teſtimonium, & ut in perpetuo amore ac pace permaneãt, & uitam ducant iuxta legem tuam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Tunc ſacerdos iungens eorum dextras, dicat.

Quos Deus coniunxit homo non ſeparet.

His peractis, Miniſter dicet populo.

Cùm N. & N. conſenſerint in ſacrum matrimonium, & hoc coram Deo & Eccleſia hic congregata, ſint teſtati, & mutuam fidem tradiderint, hancque donatione, & acceptione annuli, auri & argenti, ac dextrarũ coniunctione confirmarint, declaro & pronuncio eos eſſe coniuges, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Tunc Miniſter addet hanc benedictionem.

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, uos benedicat, defẽdat & cuſtodiat. Miſericors Dominus uos ſuo fauore reſpiciat, & repleat omni benedictione ſpirituali, & gratia, ut ſic vna in hac preſẽti uita uiuere poſſitis, & poſtea uitam habeatis æternam.

Tunc ingrediantur Chorum, Miniſtris aut clericis recitantibus Pſalmum. cxxvij.

Beati omnes qui timent Dominum. &c.

Aut hunc Pſalmum. lxvi.

Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis.

Sponſus & Sponſa interea genu flectant, iuxta menſam Domini, & Miniſter ſtans conuerſus ad eos, oret.

Kyrie eleyſon.

Reſp. Chriſte eleyſon.

Mini. Kyrie eleyſon.

Pater noſter qui es in cœlis. &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

Reſponſio.

Sed libera nos à malo.

Miniſter.

Domine ſaluum fac ſeruum & ancillam tuã.

Reſponſio.

Qui ſuam fiduciam in te collocant.

Miniſter.

Mitte eis Domine auxilium de ſancto.

Reſponſio.

Et defende eos in æternum.

Miniſter.

Eſto illis turris fortitudinis.

Reſponſio.

A facie inimici.

Miniſter.

Domine exaudi orationem noſtram.

Reſponſio.

Et clamor noſter ad te perueniat.

Oremus.

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob benedic seruis tuis, & insere mentibus eorum semen uitæ æternæ, ut quæcunque ex uerbo tuo utiliter didicerint, opere perficiant. Respice Domine de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, super eos, & benedicito illis. Et sicut misisti benedictionẽ tuam super Abraham & Saram, ad ingentẽ eorum consolationem, ita dignare benedicere his seruis tuis, ut obsequẽtes mãdatis tuis, & sub tua protectione securi, perseuerent in amore tuo, ad finem usque uitæ, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Oratio hæc sequens, omitti debet, si mulier fuerit annosa aut sterilis, alioquin dicatur.

COelestis & misericors Pater, cuius dono humanum genus multiplicatur, & conseruatur, adsis quæsumus his seruis tuis cum benedictione, ut sint fœcundi in propagatione prolis, & ut ducant uitam cum pietate & honestate, ut uideant filios filiorum, usque ad tertiam & quartam generationem, in laudem & gloriam sanctissimi nomini tui, per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Amen.

DEus, qui ex omnipotentia tua cuncta de nihilo creasti, quíq; post aliarũ rerũ ordinationem uoluisti, ut ex Viro condito ad imaginẽ tuã, Mulier formaretur, & in eorũ coniunctiõe, docuisti eos, non licere ulli hos separare, quos tu coniunxeras. O Deus, qui statum cõiugum consecrasti, ad significandũ excelsum mysterium coniunctionis Christi cum Ecclesia, respice clemẽter super hos seruos tuos, & præsta, ut Sponsus iste iuxta tuã ordinationem, amet suam Sponsam, ut Christus dilexit Ecclesiã, & pro qua seipsum tradidit: & ut uicissim hæc sponsa suum cõplectatur amore sponsũ, & redametur: ut Rachael sit sapiens, ut Rebecca fidelis, & ut Sara obediens, cum omni quiete, sobrietate, & cõcordia imitetur sanctas matronas. Benedic Domine utrique, & tribue frui uita æterna, per Dominũ nostrum Iesum Christum filiũ tuũ, qui tecum uiuit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula. &c. Amen.

Tunc Minister dicet.

OMnipotens Deus, qui initio condidisti primos parentes nostros Adam & Euam, & benedixisti illis, atq; in matrimonio coniunxisti, effundat super vos diuitias gratiæ tuæ, sanctificet & benedicat uos, ut illi corpore & animo placeatis, & uitam ducatis

suauem

ſuauem & ſanctam. Amen.

Deinde ſequetur Communio, & cum lectum fuerit Euangelium, ſequatur ſermo de officijs coniugum, aut loco Concionis hæc dici poſſit.

Vos qui eſtis coniuges, aut qui matrimoniū contrahere poſt hac conſtituiſtis, audite quid Scriptura dicat de officijs cōiugū, quid uir mulieri debeat, & cōtrà, mulier ſuo uiro.

Paulus ad Epheſios v. præcipit cōiugibus.

Viri diligite uxores ueſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiā dilexit, & obtulit ſemetipſū pro illa, ut illā ſanctificaret, & purificaret lauacro aquæ per uerbū, ut exhiberet ſibi glorioſā Eccleſiam, non habentem maculam neque rugā, aut aliquid ſimile, ſed ut eſſet ſancta & irreprehēſibilis. Sic viri diligere debent vxores, ut propria ſua corpora.

Qui diligit uxorem, ſeipſum diligit. Nemo enim carnem propriam unquam odio habuit, ſed diligit & fouet, ſicut Chriſtus Eccleſiā, Nam ſumus membra corporis ipſius, os de oſſibus, & caro de carne eius, propterea relinquet uir patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuę, & erunt duo in carne una. Myſterium hoc magnum eſt, in Chriſto ſcilicet, & in Eccleſia, & tamen unuſquiſq; ueſtrum diligat ſuam uxorem, ſicut ſeipſum.

Ad eundem modum Paulus præcipit ad Coloſſenſes. Viri diligite uxores ueſtras, &

ne ſitis amarulenti erga eas.

Et beatus Petrus, Apoſtolus Chriſti, qui & ipſe fuit maritus, præcipit maritis. Viri, cohabitate uxoribus ueſtris, iuxta ſcientiam, habentes honorem uxori, tanquam infirmiori uaſculo, ut cohæredes gratiæ, uitæ, ne impediantur precationes ueſtræ.

Hactenus audiuiſtis, quid Vir debeat uxori ſuæ, iam uxores audiant ſuũ officium, & quid debeant maritis.

Sanctus Paulus Apoſtolus, in prænominata epiſtola ad Epheſios, ita uobis præcipit. Vxores propriis uiris ſubditæ ſint, ueluti Domino, quoniam uir eſt caput uxoris, quẽ admodum & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & idem eſt, qui ſalutem dat corpori. Itaq; quẽ admodũ eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic vxores ſuis uiris ſubditę ſint, in omnibus. Et rurſus ad Coloſſenſes, ait. Vxores ſubditæ eſtote propriis uiris, ſicut decet in Domino. Beatus etiam Petrus ſic uos inſtituit. Vxores ſubditę ſitis uiris ueſtris, ut etiam illi uiri qui non auſcultant Euangelio, per uxorum conuerſationem, ſiue prędicationẽ lucrifiant, dũ conſiderant caſtam conuerſationem ueſtram, cum timore coniunctam, quarum ornatus ſit non forenſis, qui ſitus ſit in intricatis capillis, & auri ornamentis, aut decore ueſtium,

ſed

sed interius in corde bono, sine prauitate, ut spiritus sit placidus ac quietus, qui corā Deo precioſiſsimum eſt ornamentum. Nam ad hūc modum etiam illæ ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ſeſe ornabant, & ſubditę erāt uiris ſuis. Quemadmodum Sara obediuit Abrahæ, uocans eum Dominum, cuius factæ eſtis filiæ, dum benefacitis, & non metuitis uobis pro ulla turpitudine.

Obſeruandum, quod deſponſati debeant participes fieri miſſæ Domini.

Gratiarum actio pro

mulieribus poſt partum.

Mulier cum in templo uenerit, genu flectat quodam in loco commodo, prope menſam Domini, cui aſſans miniſter, hæc aut his ſimilia dicat:

CVm placuerit Deo ex infinita ſua bonitate te in partu ſeruare, debes ei ex animo gratiam agere, & orare.

Tunc recitabit Miniſter Pſalmum cxx, dicens:

Leuaui oculos meos in montes. &c.

uſque ad finem Pſalmi.

Kyrie eleyſon.

Reſp. Chriſte eleyſon.

Kyrie eleyſon.

Pater noſter qui es in cœlis. &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

Re.

Responsio.

Sed libera nos à malo.

Minister.

Domine saluam fac famulam tuam.

Responsio.

Deus meus sperantem in te.

Minister.

Esto ei turris fortitudinis.

Responsio.

A facie inimici.

Minister.

Domine exaudi orationem nostram.

Responsio.

Et clamor noster ad te perueniat.

Oremus.

OMnipotens Deus, qui liberasti hanc famulam tuam periculis parturientium, præsta quæsumus, misericors pater, ut per gratiam tuam fideliter inseruiat suæ uocationi in hac præsenti uita, ut particeps fiat uitæ æternæ, per Dominum nostrum. &c. Amen.

Mulier offeret oblationes solitas, iuxta morem hactenus obseruatum, & præterea communicet, si adsint communicantes.

Finis.

Excusum Londini apud Reginaldum Wolfium, Regiæ Maiest. in Latinis typographum.

Cum priuilegio Regiæ Maiestatis.